



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>




Diss. 90

197



2^o Dec. 197.



SYSTEMA
JURISPRUDENTIÆ
NATURALIS

SEU

UNIVERSALIS

Tam Publicæ, quàm Privatæ

IN USUM ACADEMICUM CONCINNATUM,

Et

In quatuor Partes divisum,

Cujus

PARS I.

SUB

GLORIOSISSIMIS AUSPICIIS AUGUSTISSIMÆ,
ET POTENTISSIMÆ

MARIÆ THERESIÆ,

Hungariæ, & Bohemiæ &c. &c. Reginae,

Archiducis Austriæ &c. Comitis Tyrolis &c. &c.

Ex libris PRÆSIDENTIS *Leonardi Sanderholzer*

PAULO JOSEPHO RIEGGER, U. J. D.

Juris Naturæ, Gentium, & Publici S. R. I. ac Historiæ Germaniæ

in Cæsareo-Archiducali Leopoldina Universitate Regio

Professore Ord. Publ.

Ecclésiæ

Publicè defendenda suscipitur

Neocadensis

A B

ILLUSTRI DOMINO JOANNE FRANCISCO ANTONIO

ab & in PALAUS COMPAN, & ROZETZ,

Provinc. Tyrol.

In Aula majori Universitatis die 6. Mens. Aug. Anno MDCCXLIV.

OENIPONTI,

Typis Michaëlis Antonii Wagner, Aulae Regiæ & Universit. Typogr. & Bibliop.

[The text in this section is extremely faint and illegible due to the quality of the scan. It appears to be a list or a series of entries.]

AUGUSTISSIMÆ

A C

POTENTISSIMÆ

M A R I Æ

THERESIÆ,

HUNGARIÆ, BOHEMIÆ,

DALMATIÆ, CROATIÆ,

SCLAVONIÆ &c. &c.

R E G I N Æ,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,

Duci Burgundiæ, Mediolani, Styriæ, Carinthiæ,

Carniolæ, Mantuæ, Parmæ, & Placentiæ, Limburgi,

Lucemburgi, Geldriæ, Wirtembergæ, Superioris

& Inferioris Silesiæ;

Principi Sueviæ, & Transylvaniæ;

**Marchioni S. R. Imperii Burgoviæ, Moraviæ,
Superioris & Inferioris Lusatia,**


**Comiti Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis, Ferretis,
Kyburgi, Goritiæ, Gradiscæ, & Athesiæ;**

Comiti Namurci;

**Dominæ Marchiæ Sclavonicæ, Portûs Naonis,
Salinarum, & Mechliniæ;**

**Nuptæ Lotharingiæ, & Barri Duci, Magnæ
Duci Hetruriæ &c. &c.**

Perennem, verâmq; omnem Felicitatem.



REGINA
AUGUSTISSIMA,
DOMINA
CLEMENTISSIMA!



Augusto Nomine Tuo MAXIMA REGINARUM tenuia isthæc exornare folia, summisque Tuis sub Auspiciis literariam in arenam progredi, quòd ambiam, & præsumam, fecit inter cæteras, & præ cæteris animandi causis delectum à Sapiencia Tua, quin à purpurato Tuo Candore REGALE SYMBOLUM. Verius tamen ut dicam, Tu Ipsa fecisti, quæ Te in Symbolo, Symbolum in Te exprimens unam utrobivis spirantem, ac vivam repræsentas Imperantium perfectionem. JUSTITIA, & CLEMENTIA Regnorum Cardines in Te regnant, Tu in illis, & per illos. Magnum, & gloriosum semper habitum in alterutro Principem excellere: maximum, & gloriosissimum in utroque. Primi Mobilis, ac totius cœlestis Sphæræ, ad

)

Rci.

Reipublicæ, & subditorum salutem compositæ sublimitatem, splendorem, salubritatem, Imperantis Mens præfert. Hujus Cœli *Sol* quidam, lucem purissimam, calorémque fœcundissimum diffundens JUSTITIA est. *Luna* deinde familiarissimum terris sidus, & tam quietis conciliatrix, quàm caliginum Victrix CLEMENTIA. Optâsses Tu quidem, vitam, ætatémque Fratri Serenissimo longum superesse, ut fesso *Atlanti* par quondam *Alcides* succederet. Aliter supremum Numen disposuit. Utrumque illum æternis Empyreï Regnis invexit, terrena, & avita Regna Tuis, DOMINA, humeris imponens, ut discerent mortales, Austriacum sanguinem moderandis aptari sceptris, & dignissimum coronis reperiri, non sexu, sed animo. Hujus siquidem vi cœlesti, & admirabili sic ad gubernacula regiam illico admovisti dexteram, ut ab incunabilis translata ad clavum contra ingruentes undique tempestates, atque insultantes mox procellas non modò solidissimis imbuta principiis, sed diuturnis insuper exercitationibus parata, atque obfirmata viderere. Ab ipso universæ hæreditatis, summæque dignitatis aditu, normam, formamque Sacratissimi in omne ævum propositi Tui, & luculentam præstituti Regiminis synopsis publicè declarans, imperaturam Te, assistentibus folio, curasque Tuas altissimas, perpetuò dirigentibus JUSTITIA, & CLEMENTIA enuntiasti. Fuerit Flavii Valentiniani: *Princeps servator justus Constantini Magni immedicabile vulnus esse rescindendum: Marci Aurelii Antonini Symbolum Regni Clementia custos.* Hæc & plura præstantissimorum ex antiquitate, imò ex Augustissimis Progenitoribus Tuis, Principum sensa folis duabus, sed TE UNA dignis vocibus ita consociasti, ac miscuisti, ut quæcunque eximia olim ab aliis excitandæ pariter, ac explicandæ menti gloriosè sunt adhibita, efficaci lemmate Tuo venustè, ac sapienter complectereris. Speculum verò, ac imaginem cordis Tui gaudens inspicit, quisquis regias hæc voces cum moribus, gestis, vitæque omni Tua prudens componit. JUSTITIA deduxit, evexitque ad solium; CLEMENTIA in illo TE solidavit. JUSTITIA amplissimæ potentæ hæreditatem addixit: CLEMENTIA dignissimam Te multiplici hoc, & nobilissimo diademate edixit. JUSTITIA
Regi-

Reginam, CLEMENTIA Matrem Te populis præfert, simulque tam ista amabilem subditis, quàm illa formidabilem hostibus ostentat. Inopina, & præmatura Augustissimi Patris fata gravissimo quidem Te vulnere sauciam, non tamen ita afflixere, ut divini consilii, ut paternæ voluntatis, ut aviti juris, ut Tui denique oblivisceris. Prospiciebas coeuntium in Te, imò in concreditas Tibi à cælo coronas, & provincias, atque Europam universam, atroces nubium minas, sed prospiciebas immota; illud Sapientissimi Regis fidenter Tibimet suggerens *Justitia firmabitur saluum.* (a) Sub initia tamen ipsa laboribus, vigiliis, studiis, officiisque nullis parcebas, ut Tuam, quin totius simul Christianæ Reipublicæ navim jactationi, turbinibus, ac procellis tempestivè subduceres, & præconcepta firmæ pacis tranquillitate incolumem servatura omnes moderaminis, lenitatisque vias pertentabas, alterum illud Salomonis (b) altissimè comprobans, *Clementia preparat vitam.* Tua videbantur, & erant præclara illa, celsæque mentis verba, quæ *Rex Maximus Artaxerxes* (c) literis olim consignaverat. *Cùm pluribus gentibus imperarem - - volui nequaquam abuti potentia magnitudine, sed CLEMENTIA & lenitate gubernare subjectos, ut absque ullo terrore vitam silentio transigentes optata cunctis mortalibus pace fruerentur.* (d) Justissimis verò, & Clementissimis desideriis Tuis, atque Conatibus aliena intercessit invidia, hæc subdolis machinationum latentium flabris, ac mox violentis aperti belli furiis Navigium Tuum non uno ex latere, sed simul omnibus propemodum partibus incessere, atque adoriri ausa obruere illud, aut prædam certè opimam excutere, facillimum credidit. Opposuisti, DOMINA, JUSTITIAM ambitioni, CLEMENTIAM ferociæ, & utriusque magnanimitate invidiam superasti. Quàm lentè manum invitam, sed invictam, retulisti ad ensen, tam gravibus deinceps ictibus implacabilium hostium Caputibus imminebas. Non est aut Instituti hujus, aut mearum virium, digna prædicatione exequi, quàm masculè, quàm heroicè, quàm ad prodigium fortiter æquè, ac feliciter

(a) Proverb. XVI. 12.

(b) Proverb. XI. 19.

(c) Esther XIII. 1.

(d) Ibidem v. 2.

ter hæreditatis Jura, & Sacrosancta Domûs Augustæ fœdera propugnaveris, turbatos Regnorum fines, inundatas validissimis exercitibus Provincias, illatas honori, Majestatiq̃ Tuæ contumelias, quàm honestè, quàm piè, quàm egregiè; ac prorsùs regiè vindicaveris. Non itaque continuatas triennio Laurearum, Palmarùmque messes, non relatas variis ex hostibus adversùs Te Unam conspirantibus per diversa terrarum, marisque spatia victorias, non nuperam Rheni transmissionem, adversis exercitibus frustra obluctantibus perfectam, & vel Julio Cæsari stupendam, non denique recentes in hostico triumphos mihi ducam commemorandos. Quod tamen non prætereundum hoc loco, æqui omnes censeant, unam reor esse *Justitiam causæ*, & armorum Tuorum, quæ ex Jurisprudentia Publica universali Civitatum & Gentium, atque ex *Imperii Romano-Germanici Legibus, Historiis, Sanctionibusq̃*, tam disertè, ac liquido constat, ut nemini à præjudiciis finistris, furdisque affectibus libero ambiguum videri queat, quod & summa æquitate bellum susceperis contempta, & lacessita: quod summa, & sincerè paterna *Fortitudine*, ac *Constantia* exceperis, læsa, & vulnerata: quod summa demum vi, ac felicitate, extorquendæ duntaxat stabili, & honestæ Paci, urgeas cœlitus roborata.

Nam pro justitia causæ Tibi militat ather,

Et conjurati veniunt ad classica Divi.

Ab justitia publicè armata ad illam Regii tribunalis Tui, si oculos deflectamus, sufficere arbitror, palam provocare: qui læsum se, aut Jus sibi non redditum conqueri possit, liberè edicito, ream agito. Verùm lætis acclamationibus gratoque potius plausu universos, singulósque ingeminare audio.

MARIÆ THERESIÆ JUSTÆ, PIÆ, FELICI,
CORONAM JUSTITIÆ: (e)

Equidem si Jobo (f) de se testari licuit: *Justitia indutus sum; & vesti vi me sicut vestimento judicio meo*: Eandem in Te purpuram REGINA CLEMENTISSIMA, nemo est, qui non suspiciat, ac veneretur. Verissimè dixerit, qui paucio-

res,

(e) 2. Timoth. IV. 8.

(f) Job. XXIX. 14.

res, nec tam illustres in coronis Tuis gemmas, quàm in imo pectore, omnique vita Tua radiare virtutes asseverabit, quæ in Rudolphis, Maximilianis, Ferdinandis, Leopoldis, Carolis, cæterisque tot Augustis Progenitoribus Tuis emicuit, & ad cœli, terræque favores, quàm maximè valuit, intacta Fidei puritas, Religionis avitæ, quâ conservandæ, quâ propagandæ ardor, animi moderatio, atque demissio, infractum in adversis robur, in Superos pietas, erga Vicariam Christi sedem reverentia, efficax locorum, personarumque sacrarum tutela, incensum precandi, & exorandi Numinis studium in afflictos, & miseros munificentia, in negotiis publicis, privatisque intentissima assiduitas, cura, providentia, sapientia: verbo, quidquid Avorum præstantissima, totique, qua patet, mundo notissima, & stirpis indoles, & sedula optimi animi, cultura tot sæculis prætulit, id omne sinu intimo combibisti, atque ad sublime in subditos Tuos, & Ecclesiam universam Exemplum Austriaco Tecum in folio recens collocasti.

Singulariter nihilominus de CLEMENTIA, inclyta videlicet, ac individua JUSTITIÆ Tuæ socia paucis ut disseram, superest.

Elucet quidem, ac eminent illa in oculis fronte, ore, totoque corporis verè regii habitu, nec quisquam nostrum, Te paucis ab hinc annis versari inter nos dignatam, contuebatur, qui non candorem, benignitatem, popularitatem, CLEMENTIAM denique, vultum Tuum, ac Pectus insidentem & manifestè animantem, lætus veneraretur, atque (ut rem eloquar) diligeret. Hinc natura licet, ac sanguine insertam Tibi suavissimam hanc dotem agnoscamus, electione tamen insuper, & digno Principibus sapientiæ consilio auctam, perpolitamque complectimur. Quid enim vel subjectis populis dulciora reddit imperia, vel Principibus gravissimas tam blandè allevat curas, ut in illis quidem regnantium erga ipsos tranquilla lenitas, & prompta, ac facilis tanquam in membra, aut filios miseratio: in his verò remissionis, beneficiorum, gratiarumque, vel in immeritos sparsarum conscientia? Quàm sincerè exhilaratus quondam Augustus Puteolanum sinum prætervehens, quando de navi Alexandrina vectores, ac nautæ fausta omnia, & eximiam laudem in Cæsaris hujus *Clementiam*

) (

con-

congerentes exclamârunt. (g) *Per illum se vivere, per illam navigare, libertate, atque fortunis per illum uti.* Quid tam præclarum, ad magnificum ad omnem posteritatis memoriam de Tito Imp. poterat transmitti, quàm *amor, ac delicia generis humani,* titulus vel sanguinis, ac vitæ pretio parandus? Quod cognomen senatus, populique Romani consensu Ulpio Trajano, Imperatorias ob virtutes attribui dignius habitum, & à modestissimo Cæsare lætiori animo receptum, quàm *optimi?* (h) Et verò tres isti per *Clementiam* maximè hos sibi honores, hos affectus, hæc solatia emeruère. Augustus enim Jus assiduè dixit, *non diligentia modo summa, sed & lenitate.* (i) Neque opus ire per singula, ubi *clementia civilitatisque ejus tam multa, & magna documenta sunt.* (k) Titus natura benevolentissimus, an non insigne illud suum, ac memorabile dictum: *Non oportere quemquam à sermone Principis tristem discedere,* (l) continuis clementiæ exemplis firmavit? *Verum Majestate salva, nec minùs equitate.* (m) Trajanus denique *non minus hominem se, quàm hominibus præesse cogitans,* (n) ita comem, benignumque universis sese dedit, sanguinis, & poenarum parcissimus in reos, afflictos, miseròsque paterna exsuerit viscera, ut alius in acie, qui fulminaret, alius in foro, & palatio, ubi gratiarum imbres spargeret, Trajanus videretur, *Superior quippe factus cæteris mortalibus, descendit in omnia familiaritatis officia, & in amicum ex Imperatore submittebatur.* (o) Non est quidem AUGUSTISSIMA DOMINA, quòd in hæc Te formatam Ethnicorum Principum exempla contendam. Umbræ sunt, sed umbræ tamen Tuis splendoribus prælucentes. Habes domestica, innumera, maxima Clementiæ non Regiæ solùm, sed Christianæ Lumina, atque si ea etiam non haberes, Tua Tibi virtus præcipuam hanc laudem conciliat. Nosti pro sapientia, & eruditione Tua singulari, qui *benignitate, & clementia*

(g) Sueton. in Aug. c. 98.

(h) Plin. jun. Paneg. ad Trojan. c. 1.

(i) Suet. in Aug. c. 33.

(k) Ibid. c. 51.

(l) Sueton. in Tit. c. 8.

(m) Ibid.

(n) Plin. jun. in Paneg. Fray. c. 1.

(o) Ibid. c. 85.

tia Imperium temperavere, his candida, & lata omnia fuisse,
etiam hostes iis equiores, quam aliis cives. (p) Hancque ipsam
 veritatem de Te non abnuunt, qui arma hodie in Te strin-
 gunt, Justitiam celebrare Tuam, ore saltem haud possunt,
 ne sententiam adversus sese ipsos ferant, Clementiæ, cætera-
 rumque Virtutum Tuarum encomiis apertè faventes accepimus,
 quibus nimirum nihil Tui, præter formidatam iisdem
 potentiam queat displicere. Tu vel in hostes, & bello captos
 mitissima, præter injuriæ licentiam, & nocendi facultatem
 iis eripis nihil, totidem habes *Clementiæ* præcones, quot eo-
 rum millia (& sanè multa) minimè dura Victricis vincula
 subiere. Quot verò ex subditis, amicis orbe reliquo? Omnes
 profectò, quibus contigit Te implorasse, convenisse, nosse,
 quin de Te, & Vitæ Tuæ rationibus verà, ac sincera famæ
 jam pervulgatæ relatu accepisse. Memorabilis Alphonfi Arra-
 gonii gnome fertur, qui plurimis Summæ Clementiæ exem-
 plis editis rogatus, *cur erga omnes etiam malos ita lenis esset?*
Quia, aiebat, *bonos Justitia conciliat, malos Clementia.* (q)
 En! Tuum REGINA MAXIMA in Magno Rege paradigma.
 Vestrum quippe ad sensum Seneca: *Magnam fortunam ma-*
gnus animus detet, atque nullum Ornamentum Principis fasti-
gio dignius, pulchriusque est, quam illa corona OB CIVES
SERVATOS, (r) ad Tuum porro unice Polybius: *Ille Status*
Reipublica optabilis, & firmus, in quo JUSTITIA, & CLE-
MENTIA vigent. (s) Nemo jam, qui Imaginem Tibi, &
 ex ea encomium adornat, Semiramides, Cleopatras, Zeno-
 bias producere aufit, profana Reginarum non quidem sine
 laude, sed nec sine maculis nomina. Debboras, Estheres,
 Judithas Tibi quadantenus similes siquis expresserit, accipiam
 in Elogii partem, atque vel Te ex illis, vel ex Te illas agno-
 scam. Dabis verò, ut meo calculo *Mulierem fortem,* cujus
de ultimis finibus pretium, (t) quamque sacris, & miris laudi-
 bus Principum sapientissimus celebrat, Te compellem. *Con-*
fidit in ea, inquit, *cor viri sui,* & Jure confidit cor cordi nexu

) () 2

Augu-

(p) Salust. ad Cæs. Orat. 1.

(q) Lips. monit. & exemp. Polit. c. 13.

(r) L. 1. de Clem. in fin.

(s) L. 8. de bello.

(t) Proverb. XXX. 10. & seqq.

Augusto amore intimo sociatum, *Accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit* Justitia publica, & privata, *brachium suum. Byssus, & Purpura* (ex candore & rubore Austriacam quis non agnoscat?) *indumentum Ejus. Os suum aperuit* sapientia, & *lex CLEMENTIÆ in lingua ejus*, ut juncta CLEMENTIÆ JUSTITIA regiam loquatur Heroidem. *Surrexerunt Filii ejus*, (& ò surgant cum Filio accrescente JOSEPH Filii complures) atque cum Filiis subditi, bonique omnes, & *Beatissimam prædicaverant*, quibus verò beatissimam dotibus? Universis videlicet, nam *multæ Filie* multorum Cæsarum Austriacorum *congregaverunt divitias*, Virtutum, Scientiarum, Victoriarum, *Tu supergressa es universas*. De Virtutibus, ac Victoriis verbum non addam. Res loquitur, & orbis testatur. De scientiis paucula in præsens institutum adnecto.

Quis Tuam DOMINA, à teneris haustam, atque supra sexum, ac ætatem, imò ad virorum doctissimorum stuporem, exultam non prædicat multiplicem linguarum notitiam, latini idiomatis præsertim aureum florem, in omni literatura elegantiori peritiam, in artibus nobilioribus universis elegantiam, in Jure præsertim publico, & privato verfatissimam prudentiam? Hæc autem postrema Primas mihi hoc loco faciat oportet. Theses quippe ex *Juris prudentia universali tam Privata, quam Publica* ad Gradus Augusti solii Tui pronus, ac submissus depono.

Quanta hujus studii, probe tamen, & ad unius veræ Catholicæ Fidei leges, & normam exacti sit utilitas, nemo melius, quàm excelsa MAJESTATIS TUÆ Mens pervidet. Inde enim velut ex puro fonte legum omnium cæterarum foecundissimi per orbem politicum rivuli, & salubria statuarii Juris in subjectas Provincias flumina: hanc limpidam Jurium universorum scaturiginem, qui despicit, aut solertissime non inspicit, haud ille per magnæ urbis, aut Christiani Orbis plateas sinceræ unquam Justitiæ dividet fluentia.

Tu REGINA AUGUSTISSIMA, quæ tot Regna, tot nobilissimas ditiones Clementissimo Sceptro moderaris, emolumentum maximum à Jure hoc Publico exundans non æqua solum dignaris æstimatione, sed in aula, in foro, in univer-

sitati-

fitatibus Tuis foves, animas, protegis, promoves, promotura etiam loculentius, quando Pax alma Te, nosque respexerit.

Ad Pacis verò nomen sentio, quam alta probi omnes ducant suspiria. Unde enim illius tam exasperatis hostium animis, tam profundè radicatis odiorum seminibus, spes, aut fiducia? Patere, DOMINA, ut simplicissimè edicam, in Tua unicè Sapiencia, Æquitate, Clementiâ. Nihil Virtuti Tuæ impervium. Fecisti hucusque & facies quantocyus, quæ inexpectata, quæ mira, quæ incredibilia videantur, nisi Religione, Justitia, & Clementia Tua gererentur.

Verum non ego laudes Tuas suscepi, aut suscipiam prædicandas. Facient deinceps quibus altior ex æthere spiritus *temporibus enim Tuis dicendis non decora ingenia.* Neque est, cur præclarissima licet initia coronemus, ubi majores longè ac diuturnos progressus ex lætissimis ipsis principiis auguramur, atque præcipimus.

Conjuxisti REGINA JUSTITIAM, & CLEMENTIAM, nec Tibi, *quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem deminuit.*

Nos JUSTITIAM Tuam Juri nostro Publico Præstitem, CLEMENTIAM autem conatibus nostris literariis Præsidem flexis coram MAJESTATIS TUÆ folio genibus exoramus. Denique votis pro Felicitatis Tuæ cumulo claudimus, de Divina in Augustum caput, & Domum omnem largitate securi: *Nam, qui sequitur Justitiam, & misericordiam, inveniet vitam, Justitiam, & Gloriam.*

Clientum & subditorum infimus

Joannes Franciscus Antonius ab & in Palaus,
Compan & Rozetz, Provinc. Tyrol.

)()()

Ad

Ad Lectorem.



Qui cum Cicerone nihil in publicum, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, afferri oportere mihi exprobraturi sunt, me Systema, & quidem in Usu Academicum tantum adornasse cogitent. Abundamus, non diffiteor, Juris Naturalis Institutionibus, Principiis, Elementis, compendiis, similibusque discendi, docendique subsidiis, ut ipsa copia laborare videamur. Sed, cum id genus scripta vel mole sua tadium, vel arida brevitatem obscuritatem non raro parere soleant: plerumque autem, & precipue heterodoxis principiis, & erroribus, non sine gravi legentium periculo sca-teant: hinc ab instituto stationis meae, quam Augusto beneficio in hac Alma Universitate indignus teneo, non alienum esse duxi, si in perpolianda hac utilissima aequè, ac amoenissima disciplina operam aliquam, & industriam collocavero, simulq; illustre hoc studium à maculis, quibus scriptores à sacris nostris dissentientes illud fedare solent, purgare, ac naturalem justitiam rationem cum revelata sincera Christi Religione, quantum quidem ejus per me fieri potuit, componere allaboravero: ut, qui ab orthodoxis institutis abeunt, intelligant etiam se ab ipsa natura sapientissime turpe divortium facere. An quod praestiti, fuerit opera pretium, judicabunt, quibus jus suffragii est. Cuilibet partem hunc recens natum, & publice expositum more antiquo Romanorum projiciendi, mergendi, necandi, jus esto, non intercedo. Sin luce non usquequaque indignus videbitur, succedent reliqui. His interim latentibus, & tempus suum, commodamque occasionem expectantibus, aliud Systema in utilitatem Academicam paratum, & typis maturum praemanibus habeo, Systema scilicet Historiae Germaniae ab origine Gentis usque ad nostra tempora in XII. Periodos divisae, per Tabulas exhibitum annexis quaestionibus Jus Publicum S. R. Imp. illustrantibus, cujus tres prima Periodi primum specimen proximo anno scholastico dabunt. His meis conatibus scholasticis studiose Lector, interim frui, & me tuae utilitatis promovenda & augenda semper & unice studiosissimum esse, & fore credas velim. Vale.

Appro.

Approbatio Theologica.



Egi librum, cui Titulus: *Systema Jurisprudentia naturalis, seu universalis tam privata, quam publica, & nihil Orthodoxæ Religionis Dogmatibus, bonisve moribus adversum deprehendi; sed potius in pluribus locis perniciosam neotericorum leguleiorum temeritatem, & scribillatorum levitatem solidè refutatam inveni.* Cùm præterea author magis inclinè ad rigorem, quàm nimiam laxitatem, nullus dubito, quin literariæ Reipublicæ partus hic utilitatem sit allaturus, & D. Defendenti occasionem daturus haustam ex Jure publico doctrinam publicè demonstrandi. Igitur liber hic octo capitibus constans (pertinentia enim ad rationem status ad me non attinent) lucem publicam aspiciat, & sub auspiciis, ac Patrocinio Augustissimæ Reginæ in arenam publicam progrediatur. Oeniponti 30. Aprilis 1744.

LEOPOLDUS NEUSTYFTER, Soc. Jesu,
SS. Theol. Doct. & in Moral. Prof. Sacræ
Facult. p. t. Decanus.



Approbatio Juridica.



Um præsens Jurisprudentiæ Naturalis seu universalis tam privatae, quam publicæ Systema haustam ex ipsis fontibus Doctrinam luculenter exhibeat, hominèmq; quid Deo, sibi, Reipublicæ, ac proximo debeat, utilissimè instruat: non tantùm luce publica & orbe litterato dignum, sed insuper etiam idoneum censeo, quod Juris Publici obtrectatoribus; perplexitatem & vanitatem hujus Scientiæ plenis buccis iniquissimè effutientibus, id tandem extorqueat, ut vel inviti fateantur, amplissimam hanc scientiam Religioni Catholicæ haudquaquam adversam & ingloriam, sed uniusque Reipublicæ summè proficuum & singulare Principis beneficium esse, jubentis Athenæum Catholicum hīs Doctrinīs illustrari, cùm aliàs fieri sapissimè soleat, quòd hæ ab exteris Provinciis subinde non minùs cum magno corporis, & utinam non sapiùs etiam animi periculo, quàm cum gravibus sumptibus conquirantur. Gratulor igitur D. Defendenti ex animo, quòd sub tantis auspiciis, & tam præstanti ex cultus studio primus pro Patriæ honore hanc arenam, Authori autem suo, quòd Universitatem nostram novo splendore nobilitet, rogitòque impensè, ut in eximio hoc scribendi genere ulterius pergere non gravetur. Oeniponti 31. Julii 1744.

CAROLUS LEOPOLDUS PÜCHLER de & in
Rungg, U. J. D. Sac. Reg. Majest. Hungar.
& Bohem. Reginæ &c. in ejusd. Universitate
Oenipontana Dig. & Jur. Feud. Profess. Ord.
Publ. ac p. t. Fac. Jurid. Decanus.

Con-



Conspectus Capitem.

CAP. I.

De Jurisprudencia Universali in genere.

CAP. II.

De Actione humana ejusque Moralitate, & Justitia.

CAP. III.

De Jure pro concessione, seu facultate morali sumpto.

CAP. IV.

De Actionum humanarum norma, seu lege in genere.

CAP. V.

De Jure seu Lege naturali ejusque primo cognoscendi principio.

CAP. VI.

De Intellectu humano primo actionum humanarum principio.

CAP. VII.

De voluntate altero humanæ actionis principio.

CAP. VIII.

De Actionum humanarum imputatione.





SYSTEMA JURISPRUDENTIÆ NATURALIS SEU UNIVERSALIS

Tam Privata, quàm Publica
IN USUM ACADEMICUM CONCINNATUM
&
IN QUATUOR PARTES DIVISUM.

P A R S I.

Quæ tam Jurisprudentiæ universalis in genere,
quàm actionis humanæ Naturam, Indolem,
& Principia exhibet.

C A P U T I.

De Jurisprudentia universali in genere.

§. I.

*Homo sive in societate totius generis humani, sive in societatibus
minoribus vivat,*



Vivit Homo, divinius illud excellentiusque Animal, Corpore & Mente constans, in Societate seu Regno totius generis humani: in quo sanè amplissimo, & quâ orbis patet, latissimo jura, officia, & obligationes esse communes, bona itidem, & mala communia dari, quotidiana testatur experientia, sed vivit Homo etiam in Societatibus minoribus, quibus nos conditio nascendi adscripsit, vel propria electio adjecit, vel casus adjunxit, quem subsequens approbatio in consilium vertit. Est præterea Homo animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & consilii, præclara quadam conditione generatus à supremo Deo; solus enim ex tot animantium generibus,

ribus, atque naturis particeps *Rationis*, & cogitationis, cùm cætera omnia sint expertia, estque duplici facultate instructus *Intellectum* scilicet, quo verum cognoscere, & judicare, & *Voluntate*, qua, quod bonum, appetere, & quod malum videtur, averfari queat. Cùm autem *Homo* simul eximia quadam agendi, quod vult, *Libertate* gaudeat, & non tantùm potestatem, sed & perverfam aliis hominibus nocendi voluntatem habeat, ac ambitione, invidia, habendi cupiditate, aliisque vitiis, & affectibus corrumpatur, & in transversum agatur: ac nulla tam detestabilis pestis sit, quæ non homini ab homine nascatur; hæc omnia verò *Generis humani felicitatem* turbare, *Hominemque* bestiis infeliciorem reddere possint: hinc *Creatoris* omnia ad fines suos ordinantis infinita bonitas homini, id est *Creatura rationali*, quam *felicem* esse voluit, *normam* quamdam *perpetuam*, & *universalem*, varioque ejusdem *status* attemperatam, ad quam *actiones* suas, & *officia* componeret, præscripsit, ingeneravit, & per *recta rationis* dictamen luculenter promulgavit. Ut omninò præclare dixerit Cicero, (a) *Quibus ratio à natura data est, usdem etiam recta ratio data est: ergò & lex, qua est recta ratio in jubendo, & vetando. Si lex: jus quoque. At omnibus ratio: jus igitur datum est omnibus.*

§. II.

Naturâ ejus rationali & sociali repugnat, ut vivat ex lex.

Homo ergo, quoniam *Creatura* est, *Creatorem* suum non potest non amare, & *Imperium* ejus agnoscere, & revereri, & quoniam est *rationalis*, per dictamen *rectæ rationis* directionis amans, & capax est, & quoniam *socialis*, & *felicitatis* suæ studiosa est, *normâ*, seu regulâ, secundùm quam *actiones* suas instituat, indiget, id est, *lege* dirigi debet. Status ergò hominis ex lex repugnat felicitati * *Creatura rationali* propriæ, repugnat *socialitati*, ad quam colendam homo natus est, (b) quod tota ipsius natura loquitur. Nulla enim societas sine legum præsidio, & reverentia intelligi, aut diu salva, & incolumis servari potest. Fingamus in civitate, republica, & regno aliquo omnes exulare leges, plenamque omnibus agendi, quidquid lubet, sine metu pœnæ vel præmii spe, relinqui libertatem.

Quanta pro Deum immortalem! rerum confusio foret oritura? unde eleganter Cicero (c) *Hoc vinculum, inquit, hujus dignitatis, qua fruimur in republica, hoc fundamentum libertatis, hic fons aequitatis, Mens, & animus, & consilium, & sententia civitatis posita est in legibus, ut corpora nostra sine mente; sic civitas sine lege, suis partibus ut nervis, ac sanguine, & membris uti non potest.* Quod si in civitate defectus, aut neglectus legum tot, tantæque mala post se trahit, quid tum futurum putamus, si universi generis humani societas nullo legum vinculo cohæreret, & omnibus quilibet audendi æqua esset potestas? tunc me hercule! bellum illud *Hobbesianum* omnium in omnes existeret, & universus orbis in habitaculum, & speluncam latronum converteretur. Quamvis ne horum quidem societas sine omni lege, cui pareant, quàmque observent, subsistere queat. *Tanta enim, justitia vis est, Teste eodem Tullio (d) ut ne illi quidem, qui maleficio, & sce-*

(a) Cicero de Legibus L. 1. C. 12.

(b) Samuel Puffendorffius de Jure Nat. & Gent. L. 2. C. 1. per tot. hanc quæstionem ritè tractat.

(c) Orat. pro Cluent. C. 146.

(d) De Offic. L. 2. C. 11.

* Nec legum hæc necessitas libertati hominis congenitæ obest, nam (uti iterum Ciceronis verbis utar) idcirco legum omnes *servi* sumus, ut *liberi* esse possimus.

& scelere pascuntur, possint sine ulla particula justitia vivere; nam qui eorum cui-
piam, qui una latrocinantur, furatur aliquid, aut eripit, is sibi ne in latrocinio qui-
dem relinquit locum, ille autem, qui archipirata dicitur, nisi aquabiliter pradam
dispertiat, aut occiditur à suis, aut relinquitur.

§. III.

*Datur ergo norma seu Lex universalis singulis & toti generis
humani societati communis,*

Cum igitur nulla civitas, nulla ne quidem sceleris societas sine ulla lege
perstare possit, quomodo mundus universus, qui una civitas, commu-
nisque hominum societas existimandus est, sine lege quadam communi, ac
universalis in tanta statuum varietate, voluntatumque perversitate conservari po-
terit? Legem ergo seu normam, secundum quam singuli, & universa hominum societas
actiones suas instituunt, dari oportet, quam scilicet ipsa recta ratio vel Deus potius,
natura rationalis Parens, Author, & Moderator, universique Gubernator, ho-
minum animis insevit, indicavit, imperavit, & inter omnes gentes peræquè,
constituit, adeoque insita est à natura, jubens ea, qua faciendæ sunt, prohibensque
contraria, quæ sanè nulla est alia, quàm quæ juris universalis seu Natura & Gen-
sium vocabulo designatur, à Deo supremo legislatore proveniens, & idèd perpet-
ua & omnibus temporibus accommodata, & de hac ipsa lege loquitur Apostolus
(e) dum ait, Gentes legem scriptam Dei non habentes, ipsas sibi fuisse legem,
atque ostendisse, opus legis scriptum in cordibus suis (ubi deinde subjicit, quomodo
hoc jus illis innotuerit) una scilicet testimonium reddente eorum conscientia, & co-
gitationibus se se mutuò accusantibus, aut etiam excusantibus. Quod sanè aliter fie-
ri non potest, quàm per ratiocinationem, adeoque per rectam rationem singulis
hominibus universoque generi humano communem. Legem hanc universalem
graphicè describit ex Cicerone Christianus Cicero Lactantius Firmianus (f) verbis
sequentibus: Est quidem vera lex, recta ratio, natura congruens, diffusa in omnes,
constans, sempiterna, qua vocet ad officium, jubendo, vetando à fraude deterreat: qua
tamen neque probos frustra jubet, aut vetat; nec improbos jubendo aut vetando movet.
Huic legi nec obrogari fas est; neque derogari ex hac aliquid licet; neque tota abrogari
potest. Nec verò aut per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus: neque est
quaerendus explanator, aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex Roma, alia Athenis;
alia nunc, alia posthac; sed & omnes Gentes, & omni tempore, una lex & sempiterna,
& immutabilis continebit, unusque erit communis quasi Magister, & Imperator om-
nium Deus; ille legis hujus inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit, ipse
se fugiet, ac naturam hominis aspernatus, hoc ipso luet maximas penas, etiamsi ca-
tera supplicia, qua putantur, effugerit.

§. IV.

Qua pro basi & fundamento habet Legem æternam Dei.

Basis autem, & fundamentum Legis universalis seu naturalis est Lex æterna, in
Deo existens. Ut enim in Deo est ratio rerum creandarum, quæ idea di-
citur: sic etiam est in eo ratio rerum gubernandarum, quæ dicitur Lex æter-
na, & sicut ratio rerum creandarum nihil est aliud, quàm conceptus Divinæ
mentis, quæ concipit rem, & indicat, quomodo illa sit faciendæ, sic ratio re-
rum gubernandarum, quam vocamus legem æternam, nihil est aliud, quàm
conceptus Divinæ mentis, quo concipit & indicat, quomodo unaquæque Crea-
tura

A 2

tura

(e) ad Rom. C. 2. v. 14.

(f) Instit. Divin. Lib. 6. C. 8.

tura debeat suas functiones obire, adjuncta simul voluntate eam obligandi, vel imprimendi inclinationem ad suam Regulam servandam. Profectò si in Rege & Principe particulari, multò magis in Deo Rege, & Principe universali oportet esse quamdam gubernandi normam, & Regulam, vel aliquam rationem, secundùm quam omnium rerum administratio instituat. Deus enim est sapientissimus, & providentissimus, quare nihil agit temerè. Ideò omnia ab æterno disposuit, & in se ipso mundum concepit, quo œconomiam mundi instituere, & præsertim actus humanos moderari, ac dirigere vellet. Cùm verò omnis gubernandi norma generali sensu lex dicatur, non malè quoque æternam istam de mundi regimine rationem in, & à Divina mente conceptam, Legem appellamus, & quidem æternam, quia Mens Divina nihil novum in tempore concipit, sed æternùm sinè prioritate temporis (non tamen sinè prioritate Ordinis) de rebus omnibus habet conceptum.

Neque enim Deus primùm post conditum mundum de ejus œconomia cogitavit; sed ab æterno, uti rerum creationem decrevit, ita Creaturarum gubernationem disposuit. Unde cùm omnia, quæ Divinæ providentiæ subduntur, à Lege æterna dirigantur; manifestum est, quòd omnia participant suo modo Legem æternam, in quantum scilicet ex impressione ejus habent inclinationes in proprios actus, & fines. Inter cætera autem rationalis Creatura excellentiore quodam modo Divinæ providentiæ subjacet; quia & ipsa providentia sui generis fit particeps, ut sibi ipsi, & aliis providere queat. Unde & in ipsa participatur ratio ultima, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum, & finem, & talis participatio legis æternæ in rationali Creatura *Lex naturalis, seu universalis* dicitur. Christiano digna sunt, quæ hanc in rem leguntur apud Ciceronem (g) qui agnoscit, *esse aliquam rationem à rerum natura profectam ad rectè faciendum impellentem, & à delicto avocantem, qua non tunc denique incipiat esse lex, cùm scripta sit, sed tunc, cùm orta sit; ortum autem esse simul cum mente Divina. Eam demum esse justorum, injustorumque Distinctionem: ad illam antiquissimam, & Principem naturam leges hominum dirigendas esse, qua supplicio improbos afficiant, defendant, ac tueantur bonos. Hanc denique legem, asserit, neque hominum ingeniis excogitatum, nec scitum esse aliquod populorum, sed æternum quoddam, quod universum mundum regeret, imperandi, prohibendique sapientiam, quam ob rem principem illam, & ultimam legem definit, Mentem omnia ratione cogentis, & Imperantis Dei; cui vis non modo senior sit, quàm atas populorum, & civitatum, sed, & equalis illius Cælum atque terras tuentis, & Regentis Dei.*

§. V.

Existencia ergo Juris universalis eodem modo, quo Dei Existencia demonstratur & à priori,

EX quibus facilè apparet, juris, quod singulis hominibus, & universæ Generis humani societati commune, & proprium est, existentiam eodem demonstrari modo, * quo ipsius supremi Numinis existentia demonstrari solet, cùm negare Deum, aut negare à Deo curari hominum actiones quoad effectum

mora-

(g) De leg. Lib. 2. C. 4. ubi ex professo de legum, justitiæque origine differit. Hic libellus de legibus omnibus præcipuè Jurium Studiosis omninò commendari meretur.

* Vid. Hugo Grotius de jure belli & pacis L. 1. C. 1. §. 12. est autem demonstratio nihil aliud, quàm modus ratiocinandi, quo conclusionem ex certo quodam principio ita deducimus, ut de ejus veritate dubitare non liceat, quæ à Priori tunc fieri dicitur, quando effectum ex sua causa demonstramus, & de hoc demonstrandi modo infra Cap. de Leg. Nat. agemus.

moralem tantundem valeat, atque haud sanè scio, an non pietate adversus Deos sublata fides etiam & societas generis humani, & una excellentissima virtus, Justitia tollatur (b) nosse enim Deum (i) consummata Justitia est *

§. VI.

Et à posteriore omnium gentium consensu,

Quemadmodum ergo ex tot generibus nullum est animal præter hominem, quod aliquam Dei notitiam habeat: ita etiam solus, & omnis Homo legis universalis agnoscit vim, & imperium. Et cum ipsis in hominibus nulla gens sit tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiam si ignoret, qualem habere Deum debeat, habendum tamen sciat: idè etiam omnes, & singulos homines, universasque gentes, quamvis linguâ, indole, & institutis, & regione diffusæ sint, lege aliqua universali, quæ Divina quadam providentia constituta est, obligari, communique omnium jure regi necesse est. Quod rectissimè *universale Nature & gentium* appellare licebit. Et cum ipsa omnium Gentium consensus (k) jus naturæ putanda sit; hinc rectè inferimus, illud esse juris universalis seu naturalis, quod apud omnes gentes, aut saltem moratiores tale esse creditur; quia, ubi multi diversis temporibus ac locis idem pro certo affirmant, id ad causam universalem referri debet: quæ in quæstionibus juris universalis alia esse non potest, quam, aut recta illatio ex rectæ rationis principiis procedens, aut communis aliquis consensus, cujus causa vix ulla alia videtur esse posse præter sensum ipsum communem.

§. VII.

Etiam à vera Religione alienarum, quarum scriptis tamen cautè utendum erit.

Atque hæc ipsa etiam præcipua ratio esse potest, quòd nos Christiani scriptis eorum, qui à vera religione erant alieni, ad juris universalis probationem & confirmationem sine scrupulo uti possimus. Quod ipsum etiam approbat S. Augustinus (l) ubi ait: *Philosophi, qui vocantur, si qua fortè vera & fidei nostræ accommodata dixerint, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab iis etiam tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda.* Cum autem hi Philosophi gentiles argumento Causæ, suæque sectæ, cui addicti erant, serviverint, & idè à recto tramite non potuerint non aberrare, hinc indiscretè illis credendum non est, uti rectè monet Lactantius, (m) *Hæc, inquit, est via, quam Philosophi quarunt; sed ideo non inveniunt, quia in terra potius, ubi apparere non potest, quarunt. Errant ergo velut in mari magno, nec, quò ferantur, intelligunt; quia nec viam cernunt, nec ducem sequuntur ullum. Eadem namque ratione hanc vitam viam quæri oportet, qua in alto iter navibus queritur, qua nisi aliquod cali lumen observent, incertis cursibus vagantur. Quisquis autem rectum iter vite tenere nititur, non terram debet aspicere, sed calum, & ut apertius loquar, non hominem sequi debet, sed Deum, non his terrestribus*

B

simula-

(b) De nat. Deorum. L. 1. c. 2.

(i) Sapient. XV. v. 3.

* Cum Lex sinè Superiore, ejusque reverentia, & metu intelligi nequeat, non video, quomodo Grotius de jure Belli & pacis Proleg. §. 11. Legem universalem seu naturalem possibilem esse putaverit, etiamsi daretur, quod sinè summo scelere dari nequit, non esse Deum, aut non curari ab eo negotia humana. Rectius hac in re sensit Puffendorffius de Jure Nat. & Gent. Lib. 2. c. 3 §. 19. & in scriptis suis criticis contra Asin. Tenebrion. §. 19. & de Orig. moralit. C. 5.

(k) Cicero Tusc. quæst. L. 1. c. 13.

(l) L. 2. c. 40. de doctrina Christiana.

(m) Inst. Divin. lib. 6. c. 8.

*simulacris, sed Deo servire caelesti; non ad corpus referre omnia, sed ad mentem; non huic vita dare operam, sed aeterna. Et cum hanc viam gentiles Philosophi non tenuerint, & sapientiam à Religione separaverint: cum tamen prius sit Deum scire, consequens colere, hinc fit, observante eodem Lactantio (n) Ut Philosophi, & qui Deos colunt, similes sint aut filii abdicatis, aut servi fugitivis; quia neque illi partem quarunt, neque hi Dominum, & sicut abdicati hereditatem Patris non assequuntur, & fugitivi impunitatem; ita neque Philosophi immortalitatem accipient, qua est regni Caelestis hereditas, id est summum bonum, quod illi maxime quarunt: neque Cultores Deorum poenam sempiterna mortis effugient; qua est animadversio veri Domini adversus fugitivos sua Majestatis ac nominis. Deum vero esse Patrem, eandemque Dominum utrique ignoraverunt tam Cultores Deorum, quam ipsi sapientia Professores; quia aut nihil omnino colendum putaverunt, aut Religiones falsas approbaverunt, aut, etiamsi vim, potestatemque summi Dei intellexerunt, ut Plato, qui ait, unum esse fabricatorem Mundi Deum, & M. Tullius, qui fatetur, hominem praecleara quadam conditione à supremo Deo esse generatum; tamen ei debitum cultum tanquam summo Patri non reddiderunt: quod erat consequens, & necessarium.**

§. VIII.

Si ergo dantur Leges universales, datur etiam Jurisprudentia universalis, qua describitur,

Cum ex hactenus dictis perspicuum sit, dari complexionem legum, ab ipso immortali Deo per rectam rationem singulis hominibus, generisque humani universitati promulgatarum, quas Recentiores *Juris natura & gentium* nomine comprehendere solent: sequi necesse est, dari etiam *Jurisprudentiam universalem*, seu *naturalem*, singulis hominibus, omnibusque gentibus communem, & propriam, quae rectè dicitur *scientia ** practica* seu *prudentia dirigens*

(n) L. 4. c. 4.

* Hac observatione idè opus esse censui, quia non desunt Christiani praesertim heterodoxi, qui in hac jurisprudentiae naturalis disciplina auctoritati Philosophorum, Oratorum, Poëtarumque gentilium plus nimio tribuunt, eamque puriori Sanctorum Ecclesiae Patrum Doctrinae non tantum praefereunt, sed horum insuper sanctitate, & doctrina illustrium virorum famae & existimationi obtrektare, ac eorum scripta acerba Crisi impetere non erubescunt. Hos inter Criticos eminet Joannes Barbeyracius, qui Puffendorffii opus de jure Nat. & Gent. in idioma Gallicum tersissime quidem transtulit, notisque illustravit, sed in praefatione huic versione Gallicae praefixa omnes ingenii nervos intendit, ut sanctorum Patrum auctoritatem ingenti cum contemptu fastuque deprimat, & vilipendi faciat. Quorum defensionem peculiari dissertatione suscipere mecum constitui. Joannem Clericum similem S. Augustini obtrektatorem jam satis de pexum dedit celeberrimus Vir Ludovicus Ant. Muratorius de ingeniorum moderatione in Religionis negotio per tot. lib. 3. Sanè dolendum, *artem criticam*, quae in origine sua erat discrimen veritatis & temporum, atque falsi errorum, nunc seditionum litterariarum fomitem, & ingeniorum turbinem evasisse.

** Cum Jurisprudentia universalis sit cognitio justae, & cognitio, quae certis principiis nititur, scientiam certam generet, & talia principia certa in Jurisprudentia hac occurrant, consequens est, ut & moralia non minus sub demonstrationem cadant, quam mathematica, uti enim *proportionum*, & *aequalitatum*, ita & *aequalitatis*, & *convenientiae* regulae aeternis rationibus constant, quarum tamen priores impunè, non item has ignorare licet, quod quidem Hugo Grotius in dubium trahere videtur, de J. B. & P. L. 2. c. 23. §. 1. cui tamen jam satisfecit Puffendorffius de J. N. & G. L. 1. c. 2. §. 9.

De Jurisprudētia Universalī in genere.

*gens actiones hominis morales secundum leges, per recte rationis dictatum ab Authore Natura Deo * homini promulgatas, ad Justitiam, & humani generis felicitatem.*

§. IX.

Et recte circa actiones hominis morales quascunque

Est igitur Jurisprudētia hæc nostra occupata in directione actionum humanarum non quarumlibet, sed earum, quæ ad legem componi possunt, & debent: & quidem ad legem naturalem tantum. Non ergo huc pertinent actiones, quæ, ut à voluntate hominum non dependent, ita & à nulla Lege dirigi possunt, nec illæ, quæ à civili, aut alia, quàm Lege naturali diriguntur, quas suis disciplinis examinandas relinquimus, & quemadmodum actiones hominum triplex tantum objectum habent, I. aut *Deum*, II. aut *se ipsos*, III. aut *alios homines*: ita & leges naturales, quæ hominum actionibus, per recte rationis dictamen, normam, & Regulam præscribunt, & promulgant, ad tres tantum classes referuntur: dum nempe I. vel *actiones hominis erga Deum* ** II. vel *actiones hominis erga se*, vel denique III. *actiones hominis erga alios* dirigunt.

§. X.

Sub ratione Justitia versari dicitur.

Quocunque autem demum in statu homo vivat, & quâmcunque in hoc mundi theatro personam sustineat; sive Paterfamilias sit, sive Filiusfamilias: sive Dominum agat, sive servum: sive imperet: sive pareat: sive denique *persona sit simplex*, id est unum hominis individuum: sive *composita* seu *moralis* pluribus hominum individuis constans: ubique Jurisprudētia nostra universalis præstò est, utpote *viva in hominis corde ratio semper una habitans, atque excubans, & animum nunquam sinens esse principatu vacuum.* (o) Et per consequens semper eadem, & immutabilis in se: varia tamen, & diversa quoad applicationem: in eo solum constans, quòd actiones hominis morales quascunque, omniâque variorum statuum societatumque officia ad *Justitiam, felicitatēque* ***

B 2

Natu-

* Et idè etiam Jurisprudētia Naturalem per me *Jurisprudētia Divina* vocabulo cum *Christiano Thomaso* denominare licebit, cujus Authoris per decursum sæpius, non tamen sinè reprehensionis nota recurret mentio. Attendas tamen velim, hanc *Jurisprudētia Divinam* non esse confundendam cum illa, quæ ex divina voluntate tantum ortum trahit, & eatenus *veteris & novi Testamenti* leges comprehendit, quæ hominibus non ex rationis lumine sed revelationis divinæ beneficio innotuerunt.

** *Cum prius sit nosse Deum, consequens colere*, ut Lactantius loquitur; idè etiam rectè inferre licet, officia hominis Deo naturaliter debita à Jurisprudētia universalī, quæ suum cuique sub ratione justitiæ tribuere debet, per se attingi, ut adèd Puffendorffius meritò malè audiat apud God. Guil. Leibnitium in epist. cens. libri de off. Hom. & civ. quod religionem omnem à Jurisprudētia naturali ablegaverit, vel ab ea non nisi indirectè respici, imò religionem naturalem hujus vitæ terminis tantum conclusam esse asserere non dubitaverit, cum tamen sibi ipsi contrarius L. 1. C. 4. §. 9. de off. Hom. & civ. *in libertate naturali religionem revera ultimum, & firmissimum humana societatis vinculum esse agnoverit.*

(o) Plutarchus Lib. ad Principem indoctum Litt. C. pag. 780.

*** Adeoque non tantum felicitatem hujus vitæ terminis conclusam, qui iterum Puffendorffii error est, in Spicileg. C. 1. §. 20. & C. 2. §. 10. item in Præfat. ad offic. Hom. & civis §. 8. pro fine habet, sed etiam *Internam*, quæ demum perfecta, & naturæ rationali saltem sub ratione *premi naturalis* propria est, cum solo lumine rationis non possit non de alterius cujusdam vitæ necessitate sub

Naturæ rationali convenientem, & propriam dirigere, & perpetuæ Legum naturalium normæ consentaneas reddere, & *justas* efficere allaboret.

§. XI.

Et sub hoc respectu ab Ethica, Politica, ac Theologia distinguitur.

Quandoquidem Jurisprudentia universalis circa actiones hominum morales sub *ratione justitiae*, justum ab injusto discernendo, verlatur, inde satis patet, quomodo ab aliis scientiis affinis v. g. *Ethica, Politica, & Theologia moralis* discrepet: nam cum *Ethica* sit scientia ostendens rationem ad summum bonum, & ejus fruitionem, per culturam virtutum, & vitiorum extirpationem benè, beatèque vivendo perveniendi; pro fine suo agnoscat necesse est: *Omne honestum, decorum, laudabile, omniumque virtutum complexum, seclusa Fusti*, quod aliunde jam accipit, consideratione, si autem jus naturæ, ut aliquando solet, notione laxiore extendatur etiam ad ea, quæ naturæ humanæ tantum conveniunt, & recta ratio honesta tantum, & oppositis meliora esse judicat, etsi non debita, nihil verat, quò minùs *Ethicam* * hujus disciplinæ partem constituamus, & hinc etiam studium *Ethicum* cum jure naturæ conjungere consultum, & laudabile erit.

Idem judicium esto de *Politica*, quæ, quid in actionibus hominum moralibus *utile* sit, vel *publicè*, vel *privatim* (& tunc *æconomica* appellatur) examinat, & indagat, Jurisprudentia autem universalis, quid naturæ *justum* sit, disquirat. Et hinc in *objecto materiali*, ut ajunt, conveniunt; at *sine* differunt. Jurisconsultus causas justificas, Politicus suasorias præ oculis habet, utile autem à justo separare nunquam licet, quia, *quod honestum non est, id utile ut sit, effici non potest, adversante, & repugnante natura.* (p) Verus Politicus callere quidem debet, sed non calcare fraudum vias, Medici instar, qui venena noscit, non ut propinet, & misceat, sed ut ab eorum usu cavere discat, & doceat, aut sumpta depellat. **

Qua ratione denique Jurisprudentia universalis à *Theologia moralis*, quæ hominem circa officia *Deo, sibi ipsi, & proximo* ex quacunque demum lege debita, sub generali motivo virtutis, & honestatis attingit, & circa hæc internum præcipuè ejus tribunal instruit, abeat, & simul quam arctè cum ea cohæreat, ex hæcenus dictis satis intelligi potest. Est autem tam arctus inter *Theologiam* moralem, & *Jurisprudentiam* naturalem nexus, ut à Jurisconsulto præsertim CATHO-

sub respectu *premi* vel *pæna* saltem *naturalis* evidenter constare. Cæterum quando Puffendorffium erroneæ opinionis reum agimus, meminisse oportet, sub Puffendorffii nomine latere vix non universam Protestantium scholam, quæ in hujus Magistri verba in tractando *Juris naturæ, & Gentium* argumento vel juravit, vel corrigendo ejus errores plures insuper accumulavit.

(p) De off. lib. 3. c. 19.

* Hinc non raro evenit, ut utriusque disciplinæ principia commisceantur, & confundantur, quod fortè nec Aristoteles in *Ethica*, nec Cicero in libris de *officiis*, nec ex Recentioribus Grotius, & Puffendorffius semper, & ubique evitârunt.

** Christianum & Justum Politicum egit Justus Lipsius, cujus doctrina civilis cum monitis, & exemplis politicis Jurispublici cultori sedulo legenda, & perlegenda.

Catholico separari nequeat, nisi in difficillimis quæstionibus periculo à recta via aberrandi, & in scopulos sententiarum ab Ecclesia reprobatarum impingendi se exponere velit. *

§. XII.

Cùm autem actiones humana appellentur communiter officia, hæc describuntur, & varia sunt.

CÆterùm cùm Jurisprudencia universalis circa actiones humanas verletur, actiones autem humanæ hodie frequentius officia appellari soleant: idè de his nunc erit agendum. Est autem officium quævis actio ad suum finem ordinata, & sic officium hominis in universo est agere ad suum finem, ad quem est conditus, & in hujus mundi teatro positus, qui in eo consistit, ut Creatori suo serviat, & in eo suam beatitudinem consequatur, ex quo fine officium hominis universale fluit. Prout officia particularia pro fundamento habent fines particulares, nulla enim pars visa teste Cicerone (q) neque publicis, neque privatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, neque si secum agas, neque si cum altero contrahas, officio vacare potest, in quo colendo omnis vita honestas sita est, in eo negligendo turpitudò. Et sic officium respectu habito ad Jurisprudenciam universalem rectè describitur, quòd sit omnis actio vel omisso actionis, ad quam suscipiendam vel omittendam homo obligatione quadam secundum legem naturalem obstrictus est. Ut ille, qui actiones suas ad præscriptum Legum attemperat, officium suum peregrisse dicendus sit. Hæc autem obligatio cùm duplex sit: alia nempe communis omnium hominum: alia verò certa hominum conditioni propria, velut Parentum, Magistratum, hinc & ipsa officia partim sunt communia omnium hominum seu absoluta, partim verò Propria, seu Hypothesica, quæ conditionem, seu statum personæ sequuntur: quæ omnia iterum

C sunt

* Quid circa scripta Scholasticorum (quo vocabulo Theologi speculativi, & practici seu morales intellegi solent) sentiant A catholicis, loco omnium peroravit Joan. Franc. Buddeus, qui Hist. Jur. Nat. §. 11. sæculis barbaris per scholasticos Jus Naturæ obscuratum, atque corruptum & §. 12. à Recentioribus Scholasticis novis erroribus auctum fuisse sequentibus verbis conqueritur: quòd quidem industriam, & ingenium ad scientiam hanc (Jurisprudenciam naturalem) excolendam attulerint, & subtili, ac spinoso dicendi genere, quæ ferè propria illorum hominum laus est, multa Juris naturalis excusserint capita; sine ordine tamen cuncta tradant, infirmo, aut lubrico fundamento, quæ docent, superstruant, Divina humanæque Jura misceant, rationum momenta aut planè non, aut jejuna, quandoque & ridicula afferant, sæpissimè contra ad Patrum auctoritatem, ad Conciliorum Canones, ad Romanorum Præsulorum Decreta intempestivè provocent. Ita ille, ubi tamen mox se corrigendo sequentia subjicit: sunt tamen, inquit, quæ indefesso horum hominum studio, id, quod æquus rerum existimator non abnuet, atque labori incredibili debentur. Longè mitius judicium de scholasticis fert Grotius Proleg. §. 52. qui eos ab ingenio laudat, cùm autem in infelicia & artium bonarum ignara sæcula inciderint, non mirum esse putat, si inter multa laudanda, aliqua & condonanda sint. Ubi tamen pro certo habet, quod si in re morum consentiant, vix esse ut errent, cùm perspicaces admodum sint ad ea videnda, quæ in aliorum dictis reprehendi possunt. Certè ex opere Grotii de Jure Belli & Pacis patet, quod S. Thoma & Cajetano diligentissimè fuerit usus. Et Dominici Soti, Sylvestri, Lessii, Molinæ, Medinæ celeberrima nomina frequentissimè occurrunt in eo. Nos scholasticorum honori pro merito perdecursum operis consulere studebimus.

(q) De Offic. L. 1. elegantissimus est Tractatus Ciceronis de Officiis, de quibus S. Ambrosius l. 1. c. 7. non alienum à suo munere esse duxit, ut ipse scriberet; addens cap. 9. seq. non superfluum scriptionis nostræ fore opus, quia officium diversa æstimamus regula, atque illi (Philosophos gentiles intelligit) æstimaverunt.

sunt vel *Perfecta*, quæ Jure propriè, aut strictè dicto, vel *Imperfecta*, * quæ Jure quidem, minus tamen *perfecto* ex æquitate quadam naturali tantùm debentur, à Puffendorffio officia *Humanitatis*, à Grotio aptiore expressione *innocentia utilitatis* denominata.

§. XIII.

Pro diverso hominis statu, qui vel est connatus, vel adventitius, & hic vel naturalis, vel civilis.

Cùm autem officia hominis per omnes vitæ humanæ partes sese diffundant, variisque hominum statibus, societatibusque accommodata sint: idèò respectus haberi debet, tum ad distinctionem statuum, in quibus homo vivit, vel vivere potest: tum ad Jurisprudentiæ universalis amplitudinem, quod officia tradat hominis cuilibet statui propriæ, & convenientiæ: tum ad ipsius disciplinæ diversitatem, quæ pro diversitate objecti etiam varias denominationes accipere potest.

Est autem *status* hominis *Moralis* (physicum physicis considerandum relinquimus) *Qualitas* hominem afficiens, secundum quam libera ejus actiones lege naturali variè limitantur. Sortitur enim homo statum vel à sola naturâ vel accedit simul *factum* hominis proprium, vel alienum, cujus priorem *connatum*, posteriorem *adventitium* appellamus. Ille iterum in duplici sensu sumi potest, vel quatenus hominem præcisè ut animal rationale, & sociale considerat, vel quatenus denotat conditionem hominum inter se natura æqualium in societate generis humani existentium, in qua subjectionis omnis expertes, secundum solius rectæ rationis dictamen vivere nati, & apti sunt. Per statum adventitium & naturalem simul intelligimus conditionem hominum, in qua liberæ eorum actiones, & mutæ officiorum præstationes secundum cujuslibet societatis naturam, & exigentiam sola lege naturali diriguntur, & limitantur. Et sub hac consideratione status merè naturalis, & adventitius, & naturalis simul rectè status libertatis vocabulo exprimentur, cui non ineptè statum adventitium & civilem simul opponere licebit, in quo scilicet singuli homines, integræ familiæ, aliæque societates minores *unius*, vel *plurium hominum* voluntatibus voluntates suas abdicata libertate naturali submiserunt.

Nascitur scilicet homo animal *rationale*, & *sociale*, multis rebus indigens, & si sibi soli relinqueretur, miserrimum: ac idèò excellenti quodam socialitatis appetitu præditum, & en! membrum, socium, vel si mavis naturâ *Civem* maximæ illius Civitatis, cujus terminos sole metimur, scilicet totius mundi. Cùm autem hæc magna generis humani societas unius tantùm ætatis, & sic brevè peritura foret, nisi genus humanum propagaretur: hinc provida natura homini acrem indidit stimulum appetendi societatem scæminæ, & en! statum conjugalem, in quo mas & scæmina generationi prolium operam dant, ut mundum civibus augere queant: Et en! consociationem parentum & liberorum maximè naturalem, & simplicissimam, pactum huic societati adjunxit servos, agris colendis, aliisque laboribus subeundis adhibendos. En! perfectiorem societatem, quam domum, vel familiam dicimus, quæ ex *societate conjugali parentum, & liberorum*, ac *herili* est composita, ex multis familiis consociatis existere postea *Pagi, Vici, Urbes*. Ex pluribus pagis, vicis, & urbibus, mutuis

* Nec est, quòd idèò à Jure naturæ, quia imperfecta sunt, minus attendi debeant, cùm jam sufficiat in conscientia producere obligationem, non tantùm ex regulis *honesti & decori*, ut *Thomasius in fundam. Jur. nat. & gent.* putat, sed etiam *Justi* utut *imperfecti* ortam, quæ superveniente summa necessitate in perfectam transit, vi etiam adhibitâ ab invito extorquendam.

mutuis utilitatibus, & necessitatibus in unum corpus contractis enata sunt integra Regna, quæ à Grotio perfectissimæ societates, & promiscuo vocabulo *Civitates*, & *Respublica* denominari solent. Et denique ex pluribus Regnis, seu Civitatibus, ac Rebuspublicis fœdere æquali, & inæquali inter Confœderatis systemata Civitatum, seu Rerumpublicarum, Gentiumque societates coaluerunt. *

§. XIV.

Est autem status nihil aliud, quàm societas ad certum finem inita,

STatus igitur adventitius pro fundamento habet societatem hominum factam proprio vel alieno unitorum. Unio ergo plurium voluntatum, ad unum eundemque finem, eademque media ad finem illum consequendum necessaria ita requiritur, ut absque hac voluntatum unione idem status, seu societas concipi nequeat. Inde notandum venit homines hoc modo in unum Corpus consociatos, licet plures personas Physicas comprehendat, uno tamen Imperio tanquam uno Spiritu contineri, unamque tantum personam moralem, uno intellectu, unaque voluntate personæ Physicæ instar præditam repræsentare, ita, ut quod hi homines in unum Corpus uniti talis unionis vi agunt, & volunt, pro una voluntate & actione habendum sit, & ab actione, & voluntate singulorum distinguatur. Aliud est enim, S. Augustini judicio, (r) quod in populo quisque habet peccatum suum proprium, & possunt habere omnes propria, aliud, quando commune peccatum est, quod uno animo fit, unaque voluntate ad aliquid multisitudine comparata committitur. Ut adeò personæ morali non tantum jura, quæ personis singulis tribuuntur, activè & passivè competere possunt, sed etiam affectiones personarum Physicarum aptissima Metaphora ad personas morales transferantur, atque adeò vivere, & agrotare, imò & mori, & inserere dicantur. **

§. XV.

Qua vel simplex est, vel composita.

Quoniam autem diversissimi sunt fines, ita etiam multiplices poterunt esse status, & societates, quas inter meritò primum locum occupat *simplex* seu *Imperfecta*, quæ est primæva quædam personarum simplicium unio, fundamentum, & seminarium *composita* & *Perfecta*, quæ ex pluribus simplicibus & imperfectis confurgit.

Ad Priorem refertur status *familie*, seu *domus*, quæ ut *completa* dici possit, societatem inter *Parentes*, *liberos*, & *servos* requirit, & eatenus tres societatis species, secundum triplex Imperium involvit, *matitale* scilicet, *Parentum* & *Herile*. *Maritus* imperat uxori, sed cum multo æqualitatis moderamine, sicut Magistratus civibus, *Parentes* liberis *regiè*, id est absolutè quidem: at cum pietate, non cum atrocitate. *Dominus* servis, verum his heriliter & duriter: ideò rectè Aristoteles *Patrisfamilias*, inquit, Imperium esse triplex,

G 2

Poli-

* Totum hoc ex sacra historia illustratur, quæ nobis ab initio Adamum ut *hominem*, mox ut *Maritum*, deinde ut *Patrem* sistit. Vid. Genes. c. 2. v. 22. seqq. c. 4. v. 1. 2. de oppressione hominum sub Caini posteris, & sic de *statu servili* fit mentio Genes. c. 6. v. 4. denique in iisdem sacris litteris *servitatis* vestigiumprehendimus Genes. c. 4. v. 17.

(r) Q. in Levit. 26.

** Vid. Grot. de J. B. & P. L. 1. c. 9. §. 3.

Politicum in uxorem, *Basilicum* in liberos, & *Despoticum* in servos. Ex pluribus familiis, seu societatibus *imperfectis*, seu *simplicibus* constituuntur *pagi*, *oppida*, *urbes*; & ex his societas *composita*, & *perfecta*, id est *Civitas*, quo vocabulo non denotamus locum muris cinctum, sed plurium civium in eundem finem politicum congregationem, quo sensu Cicero pro Murena dixit, *Roma urbs est, quam civitas incolit, quæ nihil aliud est, quàm societas seu communitas multorum hominum liberorum mutuis eorum pactis propter beatitudinem civilem coadunata, & summo imperio instructa.* * Et cum plurium familiarum societates in unum corpus, seu civitatem ob bonum commune coalescere possint, consequens est, ut & plures civitates seu Respublicæ, salva cujusque forma, & independentia mutuo pacto *unam Majorem, magisque compositam societatem* constituere possint, ut, quæ ad communem omnium salutem ac felicitatem pertinent, communi consilio, junctisque viribus exequantur, atque adeo speciem unius tantum Civitatis præferre videantur. **

§. XVI.

Quemadmodum autem societates & hominum status sunt varii; ita etiam Jurisprudentia universalis inde varias denominationes & tractatio operis præsentis partitionem suam accipit.

His præmissis haud obscurum esse existimo, quænam sint Jura & officia omnibus & singulis hominibus *connata, communia, sive absoluta*, quænam cuilibet statui & societati propria seu hypothetica vocari possint, ac debeant, quamvis autem multiplices sunt hominum status, & infinitæ prope modum societatum species, in quibus varia jura, relationes, & determinationes dari oportet. Jurisprudentia tamen universalis semper & ubique præstò est, & actiones morales hominis in quocunque demum statu viventis ad justitiam, & felicitatem generis humani dirigit, & dirigere debet; quia tam latè patet, ac ipsa recta ratio, quæ semper eadem, & in se immutabilis manet.

Cùm autem Jurisprudentia naturalis in tanta statuum, societatumque humanarum & jurium inde fluentium diversitate non possit non esse varia & multiplex quoad applicationem, & objecta, circa quæ versatur, consequens etiam est, ut varias denominationes & nomina sortiatur, & modò jus naturæ & gentium, modò jus naturale hominum & civitatum appelletur.

Nos in amplissimâ tantarum rerum tractatione sequentem Ordinem præ oculis habebimus, quem ipsa rei tractandæ naturalis connexio nobis suppeditare videtur. Versari enim diximus Jurisprudentiam universalem circa *actiones hominum morales*: meritò ergo *Primas* damus præsentì Tractatui, qui naturam, indolem, constitutionem, & generalia principia actiones humanæ exhibet, quantum instituto Jurisconsulti hæc non ignorare convenit. Cùm deinde homo vel tanquam civis hujus universi, vel ut caput aut membrum minoris aliqujus societatis, & utroque in casu extra Rempublicam vivens secundum varia sua jura & officia, quæ Deo, sibi ipsi, & aliis hominibus debet, considerari possit.

* Talis hominum multitudo & coadunatio nomine *Imperii, Regni, Reipublicæ, Gentis, & Populi* apud Jurispublici scriptores insigniri solet, ut aded hæc diversa vocabula rem eandem significant.

** Tales confociatæ Civitates appellantur *Achaica, Fœderata, vel Systemata Civitatum*, quo hodie referuntur septem Provinciæ Belgicæ, & tredecim Pagi, seu Cantones Helveticæ.

possit, & eatenus actiones privatas edere censeatur: Hinc Operis nostri *Parti II. Jurisprudētia universalis Privata* denominationem imponere à scopo nostro non adeò alienum esse duximus.

Partem III. destinavimus *Jurisprudētia publica universalī*, in qua tum imperantium, tum subditorum jura, officia, & actiones publicas, utpote personæ morali, id est civitati, adeoque personæ publicæ proprias, quoad statum civitatis internum expendemus.

Partem IV. *Jurisprudētia universalem gentium* inscribere lubet, quoniam enim integræ gentes, hominum in statu naturali viventium ad instar, considerandæ veniant, per se patet, quidquid inter personas simplices inter se in statu naturali degentes juris est, id omne quoque inter gentes, populósque nullius præterquam Dei imperium agnoscentes, æquum justúmque esse debeat; ita tamen, ut determinationes gentibus qua talibus propriæ, & peculiaria jura inde fluentia salva, & speciali disciplinæ seposita maneant, in quo non pauci errasse videntur, qui Jurisprudētia publicam universalem, de statu Reipublicæ interno tantùm sollicitam cum Jurisprudētia universalī gentium, qua talium confuderunt.

§. XVII.

Denique Jurisprudētia universalis secundùm totam suam latitudinem considerata necessitas & utilitas demonstratur.

EX hætenus dictis nemini non manifestum est, nullam esse Philosophiæ practicæ disciplinam, quæ vel rerum, argumentorúmque pondere, vel utilitatis ubertate, vel materiæ dignitate, vel amplissimo in omni vita humana usu cum hac Jurisprudētia universalī seu naturali ulla ex parte sit comparanda. Nam

I. Nullo in genere disputandi magis honestè patebit, quid sit homini tributum naturâ, quantam vim rerum optimarum mens humana contineat, ejus muneris colendi, efficiendique causa nati, & in lucem editi sumus, quæ sit conjunctio hominum, quæ naturalis societas inter ipsos. (s) Deinde

II. Per hoc jus naturale, utpote ab ipso Deo constitutum Reges regnant, & legum conditores justa decernunt: imperat imperantibus, tueturque subditos: sive enim summi Imperantes leges decernant, sive pœnas sanciant, sive Magistratus constituent, sive tributa imponant, aliæque, quæ Majestatis dicimus, jura in subditos exercent: hoc jure universalī reguntur, & regi debent. Quò etiam

III. Jura gentium v. g. Belli, Pacis, Fœderum, Legatorum pertinent, nec Controversiæ eorum, quos nulla Juris civilis tenet communitio, quales sunt, & qui in gentem nondum coierunt, & qui inter se diversarum sunt gentium, tum privati, tum Reges ipsi, quique par Regibus jus obtinent, sive illi optimates sunt, sive populi liberi, judice ense dirimi possunt, nec debent; priusquam Jurisprudētia hæc naturalis, quæ (t) in fœderibus, pactionibus, conditionibus populorum Regum, exterarum nationum in universo denique jure Belli, & Pacis versatur, jus dixerit. Neque

IV. Hoc jure tantùm populi, & Reges Christiani in dirigendis negotiis, dirimendisque controversiis, & litibus, inter se exortis utuntur, sed quàm maximè infideles, & à vera religione alieni, qui aliud justum, quàm naturale

D

non

(s) Cic. de leg. L. 1. C. 5.

(t) Cic. Orat. pro Balbo 15.

non agnoscunt: nec ulla ratione injuriæ, impietatisque, quàm ex hac lege, quod ipsa natura inter omnes homines peræquè constituit, rei aguntur. Porro

V. Cùm Jurisprudentia nostra universalis ambitu suo etiam Jurisprudentiam publicam universalem complectatur, quæ principia generalia doctrinæ civilis de jure Principum, populorumque, erga se invicem, itémque de officiis Imperantium, & subditorum mutuis continet: eaque præscribit, quæ in omni Republica, & Regno servari, aut omitti debent; certè omninò utile: quin & necessarium existimo, ut qui jus publicum Romano-Germanicum ex imis, ut ajunt fundamentis perdiscere cupit, nervos omnes intendat oportet, ut solidam Jurisprudentiæ universalis publicæ scientiam sibi comparet. Et tunc demùm, hæc si cum priori jungatur, illud nescio, quid præclarum, singulare, & solidum evenire solet * & quamvis

VI. Jus civili privatum à Jure universali, seu naturali variis modis differat: cùm hoc tam latè pateat, quàm ipsa recta ratio, adeoque apud omnes gentes vigeat: illud autem finibus, & utilitatibus cujuslibet civitatis, & Regni contineatur, & terminetur. Indubium tamen est, quin Jus hoc universale incredibilem utilitatem afferat iis, qui Juri civili excolendo animum appellant. Cùm enim omne Jus civile collectum sit ex naturalibus præceptis, aut gentium, hisque modò additum, modò detractum aliquid falluntur summopere ii, qui in Jurisprudentia privata sine Jurisprudentiæ universalis, seu naturalis subsidio se operæ pretium facturos esse sperant. Versatur præterea scientiæ Legum civilium circa singularia; singularium autem cognitio, nisi ex universalibus principiis cohærente nexu deducatur, manca, lubrica, & incerta est, difficillimòque & diuturno labore comparatur, quæ leviori hac via, brevi tempore, maxima cum utilitate, & voluptate quadam acquiri potest, ut omninò aureum sit monitum (u) Ciceronis, non à prætoris edicto ut plerique nunc, neque à XII. tabulis, sed penitus ex intima Philosophia hauriendam esse Juris disciplinam. De iis, qui aliter Jus civile tra-

* Ad rem Henning. Böhmerus in *Præfat. introd. in Jus publ. univers.* Jura, inquit, quæ statum publicum quarumcunque rerumpublicarum dirigunt, duplicis esse generis, in vulgus notum est, *Universalis* scilicet, & *Particularis*, ita, ut hæc quidem cuiusvis reipublicæ propria; illa verò omnibus sint communia. Cùm verò particularia tantùm universalibus superaddita sint, inde statim apparet, fundamentum omnium quæstionum ex universali petendum esse. Ita in addiscendo Jure publico particulari initium ab universali esse faciendum. Hæc ille, quæ Franc. Jos. Herzius celeb. paucis abhinc annis Jur. Publ. Professor in Univers. Salisburg. in notis ad Joan. Brunnemanni examen Juris Publici ad L. I. C. I. §. 15. longiore paraphrasi illustrat, & luculentius hujus rei non esse exemplum, quàm quod à nostro petitur imperio, affirmat. Jura enim ait, habet eadem, generalia nempe, quæ gens alia Majestate pollens, velut sunt Jura Belli, Pacis, foederum, collectarum, legum ferendarum, & siquæ alia. Hæc in se spectata, & quatenus Justitiæ normam tenere debent, suspiciuntur à Jurisprudentia universali, ex cujus principiis definiendum, an bellum hoc, vel illud, justè possit decerni, vel non possit? An hoc illudve in suscepto Bello permissum, vel. vetitum; an foedus vel pax sancienda, an sancita, rupta, vel non ita censi debeat? an fas sit collectas à subditis exigere, vel legem ita ferre? atqui verò, si circa eadem jura ad *modum*, quo exercenda, quæstio declinet, puta, an à solo Imperatore bellum decerni, pax vel foedus iniri, collecta cogi, lex statui possit? ea non jam ampliùs ex universali, sed particulari illo Jure publico, quod Romano-Germanicum appellamus, erui, atque decidi debet. Hæc latiùs, & ultra simplicis notæ modum in principio inculcare operæ pretium fuerit, ut omnibus perspectum fiat, quàm utiliter ex cathedra prælegatur, & explicetur Jus publicum *Gentium*, seu Jurisprudentia publica *Universalis*. Hucusque Herzius.

(u) De leg. L. I. C. 5.

tradunt, idem Cicero (vv) graviter pronūciat, non tam *Justitiæ*, quàm *litigandi viis* tradere, quo monente non tam auctores in disputando, quàm rationis momenta quærenda sunt. Et sanè teste experientiâ plus perficitur rationum naturalium allegatione, quàm centum Doctorum auctoritatibus. Pro libero enim agit, ait gravissimus Jurisconsultus Romanus Gravina (x) *quisquis rationi parci*; & pro servo, *quisquis auctoritati obtemperat*. Insuper

VII. Defectus Juris civilis suppleri aliunde non possunt, quàm ex hoc Jure universali, quòd sæculis omnibus antenatum est, quàm lex ulla scripta, aut quàm civitas omnino constituta fuit, omnisque æquitatis, & interpretationis est fundamentum. Quoties igitur in legibus scriptis manifestæ iniquitatis labe se prodit, mutari, & secundum æquitatem, & honestatem naturalem corrigi debet. Deinde cum non omnes articuli sigillatim Jure scripto, hominumque constitutionibus comprehendi possint, & novas quotidie formas edere natura deproperet, nec raro emergant negotia, legibus nondum definita: sic ut prætermisâ interpretatione, & officio Judicis supplenda sint, necesse erit in hisce supplendis, & dijudicandis æquitatem præ oculis habere, eamque stricto Juri, nimiumque scrupulosæ argumentationum subtilitati præferre. (y) Neque tantum in prætermisâ, sed & in ipsis scriptis legibus in id incumbendum est Judici, ut æquitatis præcipuam in interpretando habeat rationem, nec tam strictum Jus sequatur, quod solis legum verbis subnixum, ad absurda & inepta raro deduceret, quàm potius, cognitâ probè & perspecta earum ratione ex animi sui religione constituat, utrum ad casum sibi dijudicandum legis vis extendenda sit, an certò certius cessante ratione legis, ipsius quoque legislatoris voluntas extensioni ad talem casum videatur refragari. Cum utique leges scire non sit verba earum tenere, sed vim, ac potestatem: & in fraudem legis facere dicatur, qui servatis legis verbis, menti ejus ac sententiæ adversatur: atque etiam calumniari, & verba captare, qui non qua mente, quid dictum sit, animadvertit. Quid enim magis iniquum foret, quàm ad ultimum supplicium damnare eos, qui hostes arcendi causâ, muros conscendissent, quia lege scriptum erat, capitale esse, si quis muros conscendisset. Quis dubitet, quin Jus tale summum, summa injuria, atque injustitia dici mereatur. Denique

VIII. Cum Jus naturale nihil aliud sit, quàm adumbrata quædam in hominibus Divinæ lineamenta legis, etsi non perfecta, at inchoata tamen, affectaque ab ipsomet animorum exordio Religio: hujus Juris naturalis studium etiam post revelatam Religionem, & plenissimam Evangelii lucem Christiano homine dignissimum esse, jam antè me agnovit iterum, omni mea laude major sagacissimus Gravina, (z) qui ingenuè fatetur se longè ab eorum opinione recedere, qui ex institutione Christianorum studium pellunt, excluduntque moralis Philosophiæ, veluti supervacuum, & profanum, ac minimè dignum, quod in hac præceptorum Divinitate se offerat, quasi religioni aliquid detrahatur, si Philosophia etiam eandem ad causam advocetur. Ut enim ea sapientiæ decreta, quæ nostros excedunt sensus, ab auctoritate solius religionis accessamus: morum tamen regulas, quarum cognitio humanæ etiam facultati patet, cur segre gemus à consideratione naturæ, quæ, semotis erroribus con-

D 2

fuetu-

(vv) De leg. L. 1. C. 6.

(x) L. 1. C. 5. de natura Deorum.

(y) In Præfat. p. m. 146. numeris omnibus absolutissimi, & omnibus Juris Candidatis apprimè utilis Tractatus de Originibus Juris civilis.

(z) Leg. in omnibus 90. ff. de Reg. Jur. Leg. quodsi Ephes. 4. in fine ff. de eo, quod certo loco. Leg. placuit 8. Cod. de Judiciis.

(a) Cit. Præfat.

fuetudinis ipsa per se tendit ad honestatem? attollitur enim religione honestas altiùs: at minimè aufertur à conspectu naturæ, quæ Philosophorum adjuta studiis expedit nobis iter; ita ut propiùs adspiremus ad Christianam virtutem, si naturalibùs rationibùs etiam enitamur: ita multò alacriùs contra vitia pro virtute pugnaverint, si à Philosophia didicerint, nihil aliud esse virtutes, nisi productionem, usúmque propriæ rationis, atque humanæ incrementa naturæ: nec à vero mo aberraturum puto, si addam; non rarò præcepta Evangelica generalia ex Jure naturali interpretationem recipere, quia in materia merè morali (exceptis Sacramentis) per Evangelium nihil aliud præcipi, aut vetari, quàm quod iplo Jure naturæ vetitum, aut præceptum est fide Romano-Catholica scimus, & credimus. Neque rigor testamenti veteris interpretationem ex Jure naturali profluentem exclusit, ut nos instruit historia Macchabæorum, (b) apud quos dubitabatur: an Sabbatho ipsis sancto injustam hostium vim, vi, armatæque manu repellere liceat. Prævaluit Juri Divino positivo Sabbathi sanctimoniam præcipienti, Jus Divinum naturale sui suorúmque defensionem adversus vim injustam favens. Quod Judæis æquum fuit, nec nobis Christianis iniquum erit: (c) lex gratiæ enim mutavit quidem diem Deo sacrum, non autem immutavit Jus naturæ.

IX. Cùm hæc ita sint, tantæque scientiæ Juris naturalis se exferat utilitas, tamque largo fonte per omnes propemodùm aliarum scientiarum partes diffundatur: huic studio excolendo eò lubentiùs accingor, quò magis experienciã didici, (quæ & querela jam fuit præstantissimi, & vitã longiore dignissimi Jurisconsulti Bernardi Gletle: (d) *Principia Philosophiæ moralis fatali quadam sordidiã à Jurisprudencia Candidatis negligi. Philosophiæ naturali, ac subtilitatibus, quæ ad usum humana vita parùm momenti afferunt, integrum biennium, imò triennium impendi videas. Disciplinam verò, quæ mores instruit, principia humanarum actionum explicat, legum fontes aperit, ad sapiëntiam forensẽ viam sternit, ac sine cujus præsidio in Jurisprudencia aream, intimãque regiam nunquam penetraveris, incurriã summè noxiã prætermitti advertas.*

Et quamvis omnibus, quibus de meliore luto finxit præcordia Titan naturalis, hujus scientiæ cultura summoperè commendanda sit: iis tamen præcipuè cordi esse deberet, neque sine reprehensione quadam temerè negligitur ab illis, quos nascendi fors in cunis jam muniis, & officiis reipublicæ obcundis destinavit. Quantum enim præ privatis hominibus generis nobilitate, Majorúmque gloriã eminent, ac propiùs ad dignitates Reipublicæ vocantur: tantò magis eos hâc regendarum civitatum, & rerum publicarum scientiã instructos esse oportet, ne aliàs illorùs, ut ajunt, manibùs negotia Reipublicæ, summò ejus detrimentò pertractare aggrediantur. * *Summa itaque ope, & alacri studio (in hanc Jurisprudenciam universalem tam privatam, quàm publicam incumbite) & vosmetipsos sic eruditos ostendite, ut spes vos pulcherrima fovcat, toto legitimo opere perfectò, posse etiam Rempublicam in partibus ejus vobis credendis gubernari.* Quæ ferè verba sunt Justiniani (e) studium suorùs juris Civilis elementorum commendantis, quibùs & mihi omnes Jurium candidatos alloqui, & ad sedulam Jurisprudenciæ universalis, seu Naturalis culturam exhortari, præsentique capiti colophonem imponere liceat.

CA.

(b) L. 1. C. 2. v. 40. seqq. C. 9. v. 42. seqq.

(c) Vid. Matth. 12. v. 2. Luc. 13. v. 15. Joan. 7. v. 23.

(d) In Præfat. ad Jurisprud. fundament.

* Audire lubeat religione & doctrinã inclytum, in omni præsertim Jure versatissimum celeb. Universit. Salisburg. Profess. Franc. Schmier in Præfat. Jurisprud. univers. Publ. ubi de hujus scientiæ necessitate differens denique exclamat: Et, quis amabo! Regibus aut Principibus à Consiliis, aut Confessionibus salva conscientia servire poterit, qui, quid Regibus aut Principibus concessum aut vetitum sit, turpiter ignorat?

(e) In Procem. ad Instit. §. fin.

CAPUT II.

De Actione humana ejusque Moralitate, & Justitia:

§. I.

Jurisprudentia universalis objectum est actio humana.



Um Jurisprudentia universalis ad inveniendam, stabiliendamque actionum humanarum Justitiam, injustitiamque pertineat, vita verò humana nihil aliud sit, quàm continuum actionum moralium exercitium: Methodi ratio exigit, ut de *Actione humana* in genere, ejusque *Moralitate & Justitia*, nec non de ejusdem principis tam remotis, quàm proximis, tam extrinsecis, quàm intrinsecis: id est de actionum humanarum norma, seu lege in genere, & in specie naturali & gentium, deinde de intellectu & voluntate, & denique de actionis humanæ imputatione, & interpretatione ordine agemus.

§. II.

Non qualiscunque,

INstituta hominis, corpore & animo conditi, velut anatome deprehendimus omnis actionis humanæ principium movens in mente hominis esse radicum. Quippe corpus examine torpet, ac quiescit: nullumque nec animale quidem motum edit. Quemadmodum autem anima vulgari divisione in vegetativam, sensitivam, & rationalem dispescitur: ita etiam operationes, motus, & actiones ab ea procedentes varias denominationes accipere solent, quas ex principis Philosophicis satis cognitatis supponimus. Jurisprudentia nostra illas tantum actiones hominis considerat, quæ directionis, & normæ secundum quam dirigantur, & componantur, capaces esse noscuntur: Huc ergò non pertinent passiones & actiones hominis Physicæ tantum, nec etiam instinctus merè naturales, quos Grotius (a) cum Stoicorum schola *Prima natura* appellat, alique motus, qui, quatenus rationis imperio non subsunt, lege nec dirigi possunt, nec debent, sic per nos non stat, quò minus cor per systolem, & diastolem, intestina motui peristaltico, sanguis per circulum moveantur. Contrà in potestate nostra situm est, stare, sedere, an ambulare, loqui, an tacere malimus. Ita sanè ira, qua agitatur, legem non audit, at actiones nostras lex dirigere potest, ut ne iræ fræna laxemus, ut resistamus principis, ne illam ad impetum pervenire patiamur, ut actionem æstuante animo suspendamus.

§. III.

Sed moralis, & quidem justa.

PEr actionem ergò intelligimus non qualemcunque motum ab homine profectum, sed talem, quem homo prælucente intellectu, accedente libero voluntatis decreto secundum legis normam suscipit vel omittit. Ecce idè etiam rectè actionis moralis, & quidem justæ appellatione insignire licet, quia I. ab intellectu, & voluntate, & quidem II. liberè, ita tamen procedit, ut III. sit elicitata cum advertentia rationis ad regulam honestatis, atque adeò IV. legi alicui præcipienti, vel prohibenti, aut etiam permittenti conveniat, vel disconveniat, necesse est.

E

§. IV.

(a) De I. B. & P. L., I, C. 2. §. 1.

§. IV.

Cujus principium intrinsecum est intellectus.

Pollet scilicet Mens humana duplici facultate *inselligendi* sive *rationandi*, qua verum cognoscere & dijudicare potest, tum etiam *volendi*, & appetendi, quod placet sub specie boni, & averfandi, quod sub specie mali displicet. Utramque hanc facultatem *Intellectum* nimirum, & *voluntatem* intrinseca, & efficientia omnis actionis humanæ moralis principia vulgò statui videas.

Intellectus nobilissima hæc animæ nostræ potentia duplici iterum quasi facultate præditus esse intelligitur, unam *representativam*, seu *apprehensivam* appellaveris, cui objectum velut speculo illabitur, in eoque voluntati sub ratione con- vel disconvenientiæ præsentatur. Per alteram, quam *Judicativam* denominamus, objecti rationes examinantur, expensis, collatisque inter se circumstantiis, de mediis instituitur consultatio, ut intellectum non incongruè dixeris esse facultatem naturalem rectè judicandi, *congenita natura principia applicandi*, variisque ex iis conclusiones deducendi. Hujus lumine homo consequentia cernit: principia, & causas rerum videt, eorumque progressus & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus adjungit, atque annectit futuras, facilè totius vitæ causam videt, ad eamque degendam præparat res necessarias.

§. V.

Cui ex natura sua convenit rectitudo.

Ipse ergò intellectus, cum faciem nostris præferat actionibus, circa moralia, naturam rectus esse, præmissaque debita inquisitione res objectas liquidò, & prout in se sunt, apprehendere posse necessariò supponitur; quod lumen *Recta ratio* appellatur, attemperandis ad naturæ legem actionibus, iisdemque ac rebus aliis inter se comparandis, ordinandis, dirigendisque, apta, & destinata, ut omni dubio carere existimem, quod intellectus * seu ratio ex se recta sit, quoad *cognitionem*, indicans, & ostendens normam, quam voluntas pro sua libertate in agendo, vel omittendo sequatur, quamvis quoad applicationem corrupta esse possit. Recta ergò ratio non *distinctivus*, sed *expressivus* est terminus, quibus enim ratio à natura data est, iisdem etiam recta ratio data est; cui nos jure naturæ tanquam creato à Deo Magistratui subjicimur, ut jus diceret actionibus nostris, atque affectionibus, & sensibus præflet. Enimverò è sensuum variis perceptionibus varias homo suscipit affectiones, variisque appetitus, adeò sæpè inter se discordes, ut in populo illo affectionum crebræ seditiones oriantur, videanturque uno tempore intra eundem hominem plures animi oberrare, nisi motus inter se dissidentes revocentur ad rationem;

* Hanc rationis seu intellectus rectitudinem in dubium vocare, & sententiam hæc in re communissimam communis erroris arguere non dubitavit Christianus Thomæus in fund. I. N. & G. c. 1. §. 96. 97. sequenti discursu: *Si voluntas, inquit, sequi debet intellectum, necesse esset, ut intellectus esset rectus: atqui fatentur dari intellectum etiam corruptum: hunc ergò voluntas sequi non debet. At voluntas non habet potentiam judicandi, utrum intellectus sit rectus vel corruptus, cum omne judicium pertineat ad ipsum intellectum, ergò voluntas nescit, quem sequi debeat; ergò si dum id nescit, tamen sequitur, imprudenter facit*: Pace hujus viri dixerim hunc discursum secundum dialecticæ regulas malè coherere, & concludere. Voluntas non debet aliquando sequi intellectum; ergò nunquam. Concludendum illi erat ex præmissis, ergò voluntas non semper intellectum sequi debet, Thomæus videtur immemor fuisse eorum, quæ scripsit in Jurispr. Divin. L. 1. c. 1. §. 54. ubi rectitudinem intellectus naturalem admisit.

tionem; cujus constans est, firmumque consilium, cum eadem semper boni specie teneatur. Quicumque igitur sui imperium à ratione transtulerit ad sensum, perduellis est, & hostis humanæ naturæ, cui legitimum rectorem, rectumque ademit magistratum. Ut Tullius (b) solo lumine rectæ rationis ductus omnino rectè dixerit, *omnes animorum perturbationes, agritudines, & morbos ex rationis aspernatione evenire.*

§. VI.

Alterum intrinsecum actionis moralis principium est voluntas.

Alterum intrinsecum humanæ actionis principium est *Voluntas*, * interna illa actionum humanarum moderatrix, quæ præpositis, cognitisque objectis citra necessitatem Physicam maximè sibi congrua eligere, & à minus convenientibus abstinere potest. Huic convenit prærogativa *Voluntatis*, & *libertatis* tam *specificationis*, seu *contrarietatis*, quando quis hoc vel illud potest agere, se v. g. ad speciem amoris, vel odii determinando: quàm *contradictionis*, seu *exercitii*, quando quis potest agere vel non agere, & per consequens ponere, vel omittere exercitium suæ libertatis, qua voluntas circa objectum agibile positum omnibus ad agendum requisitis indifferenter se habet, tum quoad speciem, tum quoad exercitium actûs. Hac libertate intellectus non gaudet, quoniam intelligere nec in se formaliter, neque quoad exercitium actûs est liberum: hinc intellectus, ejusque lumen est saltem conditio, sine qua non actionis liberæ, seu absque qua voluntas aliquando libertatem exercere non posset.

§. VII.

Ad actionem moralem etiam requiritur advertentia rationis ad regulam honestatis.

Præterea ad actionis moralis constitutionem requirimus advertentiam rationis *ad regulam Honestatis*, cum Honestas objecti, ut voluntaria sit (nihil enim volitum nisi præcognitum) cognosci debeat. Quomodo autem recta ratio seu intellectus hoc vel illud honestum esse enuntiet, ex infra dicendis ** patebit. Nunc regula prima & suprema, seu de ratione, ob quam objectum honestate, vel inhonestate vestitum esse dicatur, agendum erit. Per regulam intelligitur in genere *mensura*, ad quam, an aliquid rectum vel obliquum sit, exigitur. Talis mensura respectu actuum moralium existit antè omnem mentis operationem, actio enim moralis (v. g. *homicidium*) non idèò injusta & inhonesta est, quia intellectus seu conscientia hanc ut injustam & inhonestam apprehendit: sed idèò intellectus hoc judicium fert, quia antè omnem cogitationem hominis homicidium injustitiam & inhonestatem involvit, ac præinde rationem illam, quæ antè rationis nostræ dictamen objecto justitiam, vel injustitiam, malitiam vel bonitatem accersit, regulam honestæ, & justæ operationis supremam, primam, & universalem rectè statuimus.

(b) L. 1. §. 17. de Legibus.

* Putat quidem Gerardus Titius Observ. 13. ad Puffendorf. de Offic. hom. & civ. cum aliis, Intellectum, & voluntatem in suis operationibus non distingui, & ideo entia multiplicari sine necessitate, cum ille sine appetitione, vel aversatione, hæc sine cognitione concipi haud possit, quasi verò homo objectum apprehensum, & intellectum necessariò appetere, vel aversari debeat.

** Cap. 7. ubi de conscientia agitur,

§. VIII.

Est autem nulla alia honestatis seu moralitatis regula, quam voluntas Divina permittens, præcipiens, vel prohibens.

Cum autem hæc regula actuum moralium eo ipso, quia prima, suprema, & universalis est, vi essentiae suæ recta esse, & virtute propria obligationem in conscientia producere debeat, ac qua talis à rectitudine nunquam deflectere possit; consequens est, quòd nulla Creatura, adeoque nec *natura rationalis* * hanc primam & universalem regulam objectivam *Moralitatis* constituere queat. Et quoniam hæc proprietates regulæ supremæ & universalis soli Divinæ voluntati vi essentiae suæ ab æterno conveniunt, necessariò sequitur, regulam supremam & universalem omnis honestatis, seu moralitatis etiam tunc dependere à voluntate Dei permittente, præcipiente, vel prohibente, quando objectum intrinsicam turpitudinem, vel honestatem præferre dicitur. Quamvis enim adulterium, homicidium, & delicta id genus alia ita sint mala, ut ab autore Naturæ exigant prohiberi, *formaliter* tamen ideo sunt mala, quia repugnant *legi aeternæ, primæ omnis moralitatis regulæ* ** hinc differentia ultima, quæ intercedit inter objecta per se turpia, & indifferentia, ex eo desumitur, quòd ista sint prohibita, prohibitione Deo liberâ, hæc verò prohibitione naturali, & Deo non libera; id est, ut Ludovicus Molina (c) loquitur. *Obligatio juris naturalis oritur à natura objecti, & se se diffundit in præceptum. Ea verò de causa dici consuevit, ea, quæ sunt juris naturalis, prohibita esse, quia mala, & non ideo mala esse, quia prohibita è contrario verò obligatio juris positivi oritur à præcepto, & voluntate præipientis, indeque derivatur in objectum.*

§. IX.

* Hujus sententiæ fuisse videtur H. Grotius, dum in proleg. §. II. legem naturalem dari putat, *etiamsi daremus, quod sine summo scelere dari nequit, non esse Deum, aut non curari ab eo negotia humana.* Nec etiam ad rem facit, quòd *Blasphemia, Mendacium,* sint ideo prohibita, quia naturæ rationali, qua tali antecedenter antè omnem legem disconveniunt, & ideo non potuerint non à Deo prohiberi. Nam antecedens illa disconvenientia cum natura rationali, qua tali est ratio merè radicalis, & fundamentalis, & dicuntur hæc prohibita, quia turpia, non *moraliter* sed *materialiter, & physice,* quia ex fine, & circumstantiis antecedenter ad legem Dei fini à Creatore intento contrariantur. Moralitas autem primùm ex impositione legis nascitur, & actui Physico tanquam affectio ex relatione ad legem supervenit, eumque afficit, & determinat.

** An detur moralitas objectiva antecedenter ad legem Divinam magna animorum contentione disputatum fuit inter Joann. Joach. Zentgravium in disquis. de orig. Verit. & imutab. Rectit. Jur. Nat. secund. Discipl. Christ. & Sam. Puffendorffium, qui in J. N. & G. L. 1. C. 2. §. 6. & in scriptis suis eristicis ad mentem nostrorum Theologorum rectè dicit, honestum, vel inhonestum antè legem seu alicujus superioris voluntatem intelligi non posse, & v. g. occisionem hominis esse indifferentem, ut possit esse legitima, & illegitima, nec nisi accedente lege Dei fieri talem *moraliter.* Homicidii autem vocabulum in conceptu suo jam involvit ipsam *moralitatem,* id est, actum *lege* prohibitum. Tota fortè hæc controversia denique desinit in logomachiam, nam etsi Grotius ex convenientia, aut disconvenientia alicujus actus cum natura rationali *moralementurpitudinem,* aut *necessitatem moralem* desumendam esse velit L. 1. C. 1. §. 10. N. 1. voluntatem tamen supremi Divini Legislatoris ab eo non excludi indicant verba cit. loc. in fin. addita. *ac consequenter ab Auctore. Natura Deo talem actum aut vetari, aut præcipi.*

(c) Tom. 1. Disp. 4. N. 2.

§. IX.

Moralitas in actum internum refunditur ex objecto, fine, & circumstantiis.

UT autem voluntas actionem *honestam* seu *justam* appetat, *injustam* verò seu *inhonestam* aversetur, illamque suscipiendam, hanc omittendam discernat, intellectus præluere, & quasi in speculo *objectum*, *finem* & *circumstantias* exhibere, simulque moralem legis vel præcipientis, vel prohibentis, vel permittentis normam perspectam habere debet. Honestas enim in *actionem internam* refunditur ex objecto, fine & circumstantiis, quia, juxta vulgatum *bonum ex qualibet causa, malum ex quolibet defectu*. Et quoniam lex determinat vel dispositionem seu qualitatem agentis, vel objectum, vel finem vel certas denique actionis peristases seu circumstantias: ita specialis actus moralis honestas tum ex bonitate agentis, seu intentione ac proposito agendi recto, tum ex bono actus, seu objecti, & reliquarum actionis circumstantiarum congruentia cum lege desumitur, & constituitur, & hoc est, quod dicunt, actionem bonam non tantum moraliter, sed & formaliter bonam esse debere: peristases, seu circumstantias autem, quæ attendi debent, tritus versiculus, *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*, suppeditat. Ut ergo specialis honestas in actum ex objecto, fine, & circumstantiis refundatur, requiritur, ut ea *directè* & *formaliter* (saltem *confusè*) attingatur, quod circa inhonestatem actus moralis aliter se habet. Ut enim actio reddatur mala, sufficit, ut vel agentis qualitas, vel objectum, vel finis vel aliqua ex circumstantiis à regula discrepet, quia *malum ex quolibet defectu*. Sic qui potestate sua legitima malo fine utitur (v.g. Judex potestate sumendo pœnas à facinoroso ad explendam propriam vindictam) peccat.

§. X.

Actio autem externa omnem suum valorem accipit ab interna.

Actio externa honestatem, vel inhonestatem, Justitiam, vel injustitiam, adeoque omnem suum valorem accipit *ab interna*, consequenter actio externa per se loquendo non auget bonitatem vel malitiam actus interni quoad præmium vel pœnam, quia ratio bonitatis vel malitiæ ex advertentia ad regulam honestatis desumenda est, quod actui interno proprium est. Quòd autem actio externa in foro humano præmio vel pœna afficiatur, inde venit, quòd actus externus sit index interni, & hic cum illo congruere præsumatur. Non enim patitur natura humanæ societatis, ut actibus internis clarè per signa externa manifestatis nulla sit efficacia, ideo, quod sufficienter per actus externos indicatum est, pro vero habetur adversus eum, qui indicavit. Neque etiam ulla est actio hominis externa, quæ non ad universam generis humani societatem aut per se spectet, aut ex circumstantiis spectare, eamque felicem, vel infelicem reddere possit. Hinc delictorum genera monente Jurisconsulto Claudio Saturnino (d) consideranda sunt septem modis *Causâ, personâ, loco, tempore, qualitate, quantitate, & eventu*.

F

§. XI.

(d) L. 16. §. 2. ff. de pœnis.

§. XI.

Actionis moralis proprietates est imputabilitas.

EX advertentia rationis ad regulam honestatis per se & immediatè consequitur actionis moralis *imputabilitas*, * seu quòd effectus agenti moraliter jure imputari queat, bonus quidem ad laudem & præmium, malus verò ad culpam & pœnam, & sanè bonus vel malus actionis effectus meritum scilicet & demeritum nemini rectius imputari potest, quàm ei, qui actionem lege præscriptam, aut vitam *liberè* vel exercuit, vel omisit, & per suam determinationem ejus *causa*, seu *Physica*, seu *moralis*, & Author factus est. Quid ergò magis à ratione alienum (ut hoc obiter interseram) quàm Deum velle facere actionis malæ Auctorem, quam lege sua prohibet, ne fiat, aut factam punit?

§. XII.

Actioni morali tribuitur etiam Justitia.

HÆc de actione morali in genere delibasse sufficeret, nisi Jurisprudentiæ nostræ naturalis præcipua, imò unica cura in eo foret posita, ut hominum actiones regulis Justitiæ non illius universalis, (quæ est omnium virtutum complexio) sed particularis conformes efficiat, & sub ratione *Justi* circa eas versetur: ideo officii nostri memores pauca quædam de Justitia addere juvabit. *Justitia* vel tribuitur *actioni*, vel *homini*, per illam intelligimus *rectitudinem & convenientiam cum norma, seu voluntate legislatoris*. Hæc indicat *propositum*, & *intentionem se conformandi illi norma seu legislatoris voluntati*. Cum his concordat divisio *Justitia* in *externam*, quæ ex *conformatione actionis externæ cum lege* consurgit, & *internam*, quæ in *perpetua, & constante neminem ladendi, & cuique suum tribuendi voluntate* consistit, ** Unde apparet, Justitiam, prout refertur ad hominem, non expleri, si homo actionem edat fortè fortuitò legi conformem, sed accedat necesse est, ut ea ex proæresi, proposito & intentione legem adimplendi, & voluntati Legislatoris obsequendi originem suam trahat. Nimirum non *justa* tantùm sunt agenda, sed & *justè* agendum, quò illud (e) aptari potest: *Deum magis adverbis, quàm nominibus gaudere, & magis placere bene, & legitimè, quàm bonum, & legitimum, ita, ut nullum bonum liceat facere, nisi bene & legitimè*. Interim non imus inficias, actionem

* De imputatione actionum moralium infra Cap. IX. ex instituto agemus.

** Circa Justitiam varii incidunt scrupuli, an scilicet per voluntatem intelligatur ipsum *propositum*, an *habitus voluntatis*? quomodo differat *voluntas constans, & perpetua*? An *Definitio justitiæ universalis, & particularis* sit recipienda? Num *Grotii Justitiæ expletrix* eadem sit cum *Aristotelis commutativa, & attributrix cum distributiva*? & an non convenientius hæc *Rectoria*, illa *Æquatoria* vocari possit? quid sit *proportio Geometrica*? quid *Aritmethica*? nescio, si verum fateri licet, quo varix hæ, subtiles magis, quàm Justitiæ utiles divisiones pertineant? provoco ad omnes, qui vel Juri docendo, vel dicundo vacant, an non omnia in scholis, & foro controversa juris tam criminalis, quàm civilis capita ex divisione juris in *perfectum, & imperfectum* æquè facilem, solidam, & justam decisionem accipiant, ac ex recensitis diversis Justitiæ conceptibus, Justitia semper una, eadèmq; manet, servandæ tamen æqualitatis ubique, sicubi in aliqua parte inde discedatur, perquam studiosa, intentaque, ut excessus, & defectus proportionem Aritmethicam non tantùm in illa parte, quæ vulgò commutativa dicitur, sed & in distributiva, ac vindicativa corrigantur, prout id latius & perquam solidè explicat, & demonstrat *Henricus Cocceius* Vol. 1. Dissert. 2. per tot.

(e) *Thuan. Hist. L. 79. in f. ad annum 1584.*

actionem externam legi conformem in foro humano sufficere, & pro justa haberi, qualiscunque demùm fuerit agentis intentio. Idèd rarum non est, actionem internè injustam externos quosdam sequi juris effectus: ut cùm Judex injustam sententiam decernit, tamen jus reddere dicitur.

§. XIII.

Cui opponitur injustitia, seu injuria.

Justitiæ opponitur injustitia, quæ actionis injustæ, sive *injuria* Mater est. *Injuria* vel *latissimè* sumitur, pro eo scilicet, quod jure non fit etiam ab iis, qui intentionem nocendi non habent; vel *late* pro denegatione *Juris* cujuscunque tam *perfecti*, quàm *imperfecti*, vel *strictè* pro denegatione tantùm *Juris perfecti*: vel *strictissimè* pro contumelia. Injuria strictè dicta est *studiosa juris perfecti læsio invito illata*. Requiritur ergò ad injuriam strictè sumptam in lædente *proarresin verè*, vel *interpretativè talem*, in læsio, ut sit *invitus*: in læsione *violationem juris perfecti*. Per *proarresin verè talem* intelligimus id, quod consultò, & cogitatò fit, quo injuria *dolò* data pertinet, à qua meritò distinguitur illa, quæ tantùm ex *culpa* venit, pugnante cum eo, quod homines communiter, aut pro ratione certæ conditionis, & qualitatis facere possunt, & debent, sive hoc deinde in faciendo, sive non faciendo consistat. * Et ideo, quod ita fit, vel non fit, non ineptè ex *proarresin interpretativè* tali proficisci dicimus.

§. XIV.

Qua vel ex culpa.

Est ergò culpa neglectus attentionis, & industriæ in componendis ad leges actibus adhibendæ: dum nempe quis ex negligentia imprudenter committit, quod omittere deberet, aut aliquid omittit, quod esset faciendum, quin directam obligationi suæ contraveniendi, & nocendi intentionem habuerit, & idèd culpa negligentæ, & imprudentiæ rectè vocatur, & pro diversis diligentæ, quam aliquis adhibere debet, gradibus varias culparum species *late* scilicet, *Levis*, & *Levissima* Jurisconsulti constituere solent. Culpæ *late* (f) nota est *nimia negligentia*, id est *non intelligere, quod omnes intelligunt*, seu est ommissio prudentiæ, vel diligentæ communis, quam omnes homines rebus suis administrandis impendere solent, & debent. Sic omnes sciunt, claudendas esse portas, ne res v. g. depositæ facillè surripiantur: Siquis hoc negligat, in *late* culpa esse censetur. Sic etiam *late* culpa est eas ignorare leges naturales, quas omnes etiam rudes sciunt, & facillè sinè operoso discursu intelligere possunt. *Levis* (g) culpa committitur ommissione prudentiæ, & diligentæ, quam paulo diligentior Paterfamilias in rebus suis adhibere solet, & debet. Sic diligentior Paterfamilias clausis januis res pretiosas insuper cistæ includit. Hoc negligere est culpam levem committere, sic eas leges nescire, ad quarum cognitionem paulò accuratior discursus requiritur, culpæ tantùm levi accenseri potest, *Levissima* (h) denique est ommissio prudentiæ, & summæ diligentæ debitæ, cùm quis eam diligentiam, quam diligentissimus Paterfamilias ejusdem artis, conditionis, & professionis rebus suis adhibere solet, ac debet, nec ta-

F 2

men

* Nam & qui non facit, seu qui negligit, hoc ipso facere intelligitur, uti L. 121. H. de Reg. Jur. expressum est: *qui non facit, quod facere debet; videtur facere adversus ea, qua non facit: & qui facit, quod facere non debet, videtur non facere, quod jussus est.*

(f) L. 213. §. 2. & L. 223. ff. de verb. signif.

(g) L. 1. §. 4. ff. de oblig. L. 11. ff. de peric. & commod. rer. vend.

(h) L. 18. Pr. ff. commod.

men eam adhibet, modò negotii natura & indoles exactissimam diligentiam ultrò non aspernetur. Sic diligentissimus Paterfamilias obseratâ cistâ, denuò tentare omittens, an non casu aperta manserit, levissimæ culpæ reus redditur. Sic etiam culpæ levissimæ adscribitur ignorantia illarum legum, quæ sinè accuratissima ratiocinatione perspecta esse nequeunt. Quibus omnibus adhuc addi meretur, culpæ reum etiam se facere eum, qui ne quidem *ad suum modum curam* in rebus alienis, quæ ipsius fidei commissæ sunt, adhibet, *non enim salva fide minorem iis, quàm suis rebus diligentiam præstabit.* (i)

§. XV.

Vel ex dolo promanat.

Culpæ imprudentiæ, & negligentæ opponitur *culpa malitia* seu *improbitatis* & malevoli consilii, quæ in Jure Civili, si cum læsione proximi conjuncta sit, *dolus malus* appellatur, qui auctore Labeone (k) est *omnis calliditas, fallacia, & machinatio ad circumveniendum, fallendumque alterum adhibita, vel est malitiosa facti in damnum, vel læsionem alterius destinatio* (l) in faciendo aut omittendo consistens, prout quis nimirum deliberatò animò, & destinatò consiliò actum obligationi contrarium ponit, vel omittit. Hinc dolus malus *directam nocendi voluntatem*, culpa autem tantùm *indirectam & implicitam* involvit; quamvis supina negligentia à dolo parùm distet, & gravem de fraude suspicionem pariat. Qui enim studiò, & præter morem est negligentior; videtur animum nocendi habere, unde non immeritò in causis Civilibus lata culpa dolo æquiparatur (m) in delictis autem semper verus dolus respectu pœnæ ordinariæ requiritur, qui adfuisse censetur, quando lex tam aperta est, ut à nemine ignorari possit. Hinc tali in casu non tantùm quis pro sciente habetur, sed & directam contra legem agendi voluntatem habuisse in foro humano præsumitur. Dolus ergò non imminuitur per excusationem furis, ignorantiam pœnæ obtendentis. Insignis tamen in eo se inter dolum, & culpam exferit differentia, quòd ex culpa oriatur sola obligatio pensandi damnum datum, dolus autem præter pensationem damni dati pro ratione malitiæ pœnam mereatur. Qui enim culpam tantùm committit, sufficientes negligentæ suæ pœnas dat, quòd omne damnum inde secutum refarcire teneatur. Malevola autem & præmeditata illa nocendi, & peccandi voluntas aliis adhuc pœnis coëceri debet, ut quos ipsa peccati injustitia, & turpitudine à peccando non retrahit, gravitate saltem pœnæ absterreantur: nam oderunt peccare mali formidine pœnæ.

§. XVI.

Scienti tamen & consentienti injuria fieri non potest, dummodo consentire queat.

Porrò *scienti, & consentienti injuriam* non fieri, & idèò quemlibet juri suo renuntiare posse, receptissima Juris axiomata, & regulas esse constat, quæ tamen, ut pleræque alix suas notatu dignas patiuntur, (n) exceptiones, ut enim bonum, quod alteri aufertur, condonatum, & malum, quod intertur, remissum esse censi queat, non tantùm adesse debet I. *consensus* remit-

(i) L. 32. ff. depositi, quo etiam referri possunt, L. 22. §. 3. ff. ad sc. Trebell. L. 35. §. 4. ff. de contrah. empt. vend.

(k) L. 1. §. 2. ff. de dol. mal.

(l) L. 79. ff. de R. 1.

(m) L. 1. §. 1. ff. si mens fals. mod. dix.

(n) Dominic. Bannes decis. de Jur. & Just. Quæst. 59, art. 3. per tot.

mittentis, & condonantis undequaque liber, plenus, & perfectè voluntarius, ac alteri cognitus: sed etiam II. plena, & perfecta de jure ut suo, quod quis sciens & consentiens remittere, & condonare intendit, disponendi potestas, & facultas. Sunt enim bona quædam, & jura, quorum homo plenus, perfectus, & absolutus est Dominus, quibus pro lubitu uti, imò abusi potest. Sunt autem alia, quorum tantùm custodiam, & usum lege superioris, vel etiam pactò hominis restrictum, & limitatum habet. Ex defectu prioris requisiti ab usu rationis carentibus, vim gravem, & metum injustum passis, ignorantibus, & errantibus utuntur volentibus, & consentientibus bona, & jura remissa, & condonata citra injuriam acceptari nequeunt. Hinc injuriam patitur, qui pecunias pro redimenda vita latroni promissas: & mordentes sceneratori usuras solvit. Injustus est, qui pretiosum unionem vilis pretiò, non monitò venditore, imperitò harum rerum æstimatore comparat. Propter defectum dominii, consensus autochiri, seu violentas manus sibi ipsi inferentis, puellæ pudicitiam, mariti uxorem prostituentis injuriam, quæ Deo, reipublicæ, aliisque hominibus fit, nec aufert, nec imminuit. Sic etiam maritus bona sua, in quibus uxori, & liberis ratione alimentorum jus quæsitum est, citra eorum injuriam prodigè in alios erogare non potest: Matrimonium enim ineundò, & liberos procreandò obligationem alendi uxorem, & liberos in se suscepisse, bonaque sua hunc in finem tacito pignore affecta fuisse ipsa negotii natura manifestat.

§. XVII.

Denique injuria consistit in læsione Juris perfecti cujuscunque.

Denique cum injuria propriè, & strictè dicta sit, quod jure non fit, injuria sine læsione juris, & quidem perfecti intelligi nequit. Dum alteri denegatur, quod ipse debebat habere, vel suum, quod jam habet, auferatur, vel mali quid infertur, cujus inferendi alteri potestas non est; parùm autem refert, quo jure connato, an adventitio, Naturali, an Humano, quid debeat, modò debitum sit perfectum; nam nec hoc, nec illud sine causa adimi potest, ubi enim dominium, aut jus aliud alicui legitimo modo natum est, id ne sine causa ei auferatur, Juris naturalis est. Hinc oppidò falsum est Hobbesii dogma, injuriam non fieri nisi ei, quocum pactum intercessit, cum tamen certissimum sit, dari jura homini connata quàm plurima, quæ omne factum, vel pactum humanum antecedunt. Imò ipsum pactum jus non pareret, nisi ex jure naturali hanc haberet efficaciam.

§. XVIII.

Unde etiam vera injuria est, quando honor & existimatio alicujus verbis vel factis læditur.

De injuria, quatenus accipitur pro contumelia hic non attinet multa dicere, trita est divisio in realem, & verbalem prout quis alterius honori, famæ & existimationi verbis vel factis, ad contumeliam, ignominiam, & contemptum ejus comparatis detrudere intendit. Et cum homini à natura suum sit fama, & existimatio, atque adedò in harum læsione vera injuria lateat: Recta ratio tamen semper ferè suadet, devorandam potiùs, concoquendamque, quàm ad animum revocandam esse contumeliam, quod cordatæ robustæ, ac Christianæ prudentiæ est, & varias mentis turbas amolitur. Sapientis (o) monitum est: *ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis*, & quid est aliud, injuriam ad animum revocare, quàm animum offensum, & vindictæ cupidum, imò iratum profiteri? Reipublicæ quidem interest, ut

G

calum-

(o) Proverb. C. 26. v. 4.

26: CAPUT II. De actione hum. ejusq̄ Moral. & Just.

calumniantium, & conviciantium protervia, & malitia condignis compescatur remediis, & à Magistratibus in ejusmodi facem hominum ex officio animadvertatur. Quàm rectè autem, & piè ab homine Christiano ad vindictam privatam explendam actio in foro instituat, & unicum sæpè verbum tot mille thaleris etiam addito juramento æstimetur, meum non est discutere. Certè frequentissimè accidere solet, ut remedium vindicandæ injuriæ convertatur in instrumentum novæ inferendæ, cum difficile esse videatur, intentata hac actione æstimatoria, quæ meram vindictam sapit, animum purum, & ab omni perverso affectu vacuum continere. * Hinc siquid olim Christiani inter se dissidebant, omnem movebant lapidem reliqui, & Ministri Ecclesiæ potissimum, ut eos reconciliarent. Inde in atriis, & porticibus templorum dissidiorum causa examinari solebant, ut & loci sanctitate, & ministerio Clericorum presentium perculsi, eò facilius in gratiam redirent. Jus Romanum primum actionem injuriæ æstimatoriam antiquis Germaniæ populis ignotam, ut plura alia, in forum invexit, quam usu receptam maleferiata Rabulistarum industria sedulo fovit, & deinceps (sim falsus vates) fovere non desinet.

CAPUT

- * Non possum, quin aurea verba Leonardi Lessii de Jur. & Just. L. 2. c. 47. Dub. 4. §. 27. tantò Theologò digna huc apprimè facientia transcribam. Appetitio vindictæ ob injuriam privatam, per se non est virtus, cum ex amore proprii commedi oriatur; unde nemo propter hoc laudari solet. Ille autem affectus circa modum executionis, etiamsi sit actus virtutis, tamen hæc virtus est va'de parva, multum habens adjunctum ex amore proprio, à quo & ipsa applicatur ad moderandum actum punitionis, est hic etiam periculum, ne & affectus charitatis violetur, & odia excitentur. Denique res non est optimi Exempli, in condonatione & officium charitatis in Deum, & proximum, est imitatio Christi Domini & Patris Cælestis, est consilium Evangelicum, est ædificatio proximi, est victoria sui, est magna pax animi, & tranquillitas vitæ, est singularis fiducia impetrandæ remissionis à Deo: remissio enim peccatorum iis, qui proximis injurias remittunt, peculiariter promissa est, denique sæpè est lucrum animæ malefactoris. Quæ si nimis pia & Theologica videantur, audiamus magni nominis Juris Consultum Bacchovium ad fin. inst. de injur. eadem sentientem. Nihil absurdi fore, inquit, si quis affirmet, peccare hominem Christianum, qui ex ira, & vindictæ cupidine pertinaciter, & acerbè injurias exsequitur: Et imò *vix ullam satis justam causam esse Christiano, agendi injuriarum, nisi ubi hoc fieri publice quodammodo interest; vel in exemplum, ut alii ab ejusmodi petulantia absterreantur; vel ob Personam ejus, qui injuriâ est affectus, veluti si publicum officium administret, quem ab injuriis immunem, ac integra fama haberi publicè interest, ne contemptui exponatur, & administrando muneri suo minùs idoneus reddatur. Quod & latius porrigi potest, si fortè ex consuetudine indignus officiis publicis habeatur, qui injurias non vindicat.*



CAPUT III.

De Jure pro concessione seu Facultate morali sumpto.

§. I.

Jus sapissimè sumitur pro potestate aliquid agendi.



Vocabulum *juris*, uti cum lege sæpè confunditur, præprimis ubi pro complexu legum ponitur: ita cavendum, ne pro lege tunc accipiamus, quando *potestatem agendi aliquid* denotat; v.g. ne, quando dicitur, hoc, vel illud lege Naturali faciendi jus esse, putemus, id quoque lege naturali præceptum, * adeoque rectè à nobis fieri posse, etiamsi legibus humanis interdictum sciamus. Cum enim homo omnia ea agendi potestatem, seu jus habeat, quæ à potentiis naturalibus procedere possunt, donec per legem prohibeatur, inde communis loquendi-usus fert, ut quæ lege aliqua permittuntur, seu non prohibentur ea ex lege illa agendi jus esse dicatur, id quod quàm maximè differt ab iis, quæ legibus præcipiuntur, ut adeò *jus permittens, regulam, jus præcipiens* seu *prohibens, exceptionem* constituere merito dicatur. Unde toties à juris civilis commentatoribus ingeminatur: matrimonia inire, tutelam suscipere, testamentum condere, contrahere, & pacisci posse omnes nisi impediuntur (veluti, quibus deest potentia Physica) vel prohibeantur, (veluti, quibus ademptum est jus, seu facultas moralis) hinc jus seu iustum etiam est, quod licitum, sive non prohibitum ab eo, cujus est legitima prohibendi potestas.

§. II.

Non Physica, sed morali.

U T ergò actio sit justa *jus*, seu *potestas agendi moralis*, non *Physica* tantùm adsit, necesse est. Licet enim insit homini naturalis aliquid agendi facultas, si tamen illud agi jure naturæ vetitum est, perinde id fit impossibile, & delinit esse agendi facultas, ac si planè à natura illa concessa non foret: quia facultas, quæ ita datur, cum certis finibus limitata sit, ultra hos fines non est data, ac permessa, & adeò nulla facultas. Nam nec ullam homo à se habet, nec ullam ab alia creatura: & quæ à Creatore ad certum modum concessa, ultra eum negata, & vetita, & perinde se habet, ac si planè concessa (a) non foret. Unde rectè aliud *naturæ*, aliud *jure impossibile* dicitur: simulque verissimum est, ad actionem hominis justam, voluntatem, & agendi potestatem legibus non restrictam conjunctim necessariò requiri.

G 1

§. III.

* Audiamus Ulricum Huberum in digress. Justin. l. 1. c. 7. §. 2. ubi ait: libertas, tutela corporis sui, procreatio sobolis, occupatio rerum, quæ nullius sunt, & similia, *juris naturalis* esse dicuntur, cum propriè sint *facultates hominibus competentes*, & quibus uti fas est, non quia *moralis sunt necessitatis*: reducuntur tamen ad legem naturæ hoc modo: *illa jura competunt hominibus à natura*, ideòque ratio naturalis jubet, ut cuique usus eorum tribuatur, nec tamen adeo potenter jubet, quin *id lege positiva mutari queat*.

(a) Nam *que facta*, ut ait Papinianus l. 15. ff. de condit. instit. *ladunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est*.

§. III.

Huic potestati seu facultati morali activa respondet ex altera parte passiva.

Jus hoc pro attributo personæ sumptum, seu potestas agendi, receptò apud Theologos, & Juris consultos (b) vocabulò appellatur *facultas moralis*, quæ est *qualitas activa ex concessione superioris persona competens ad aliquid justè agendum, vel habendum*. *Qualitati activa* ex voluntate superioris, libertatem hominis laxanti, ex natura correlativorum respondet *qualitas passiva*, seu *obligatio* personæ à lege Divina, vel humana, per modum vinculi injecta, ejusque libertatem coarctans ad dandum aliquid, vel faciendum. Obligatio est fons omnis juris, quod alteri debet tribui, & æquè latè patet, ac jus, seu facultas moralis aliquid exigendi, petendive, ut sibi debitum; & si ponitùs inspiciamus, sunt correlata, quorum alterum in libertate positum, seu facultate petendi: alterum in necessitate præstandi, seu *necessitate morali alteri jus suum tribuendi*. Hinc sua sponte cadit illud Hobbesii jus omnium in omnia, quod eo ipso, quia esse deberet jus omnium in omnia, non haberet obligationem sibi correlatam, invenias tamen casus, ubi jus certum: obligatio autem valdè dubia videbitur, quid si enim duo naufragium passi uni tabulæ, quæ utrumque ferre non potest, vitæ servandæ causâ inhiantes, se invicem impedire, & unus alterum vi inde dejicere conetur? uterque jus salvandi vitam habet: ubi ergò obligatio?

§. IV:

Qua utraque persona tantùm competit cum suo vario statu considerata.

Qualitatem hanc *moralem activam, & passivam* meritò tribuimus personæ tantùm (in bruta enim ratione carentia jus non cadit) *persona* inquam, id est, *homini considerato cum suo statu*, pro cujus diversitate etiam jura hominis variant, hinc aliæ sunt qualitates morales, seu *jura Patrisfamilias*, alii *Filifamilias*: alia *Domini*, alia *Servi*. Probè ergò ad id respiciendum semper erit, in quo quis statu, & societate vivat. Quamvis ergo homini extra statum Reipublicæ viventi varia jura competerent. Civili tamen societate tuendæ tranquillitatis, jurisque fruendi causâ institutâ, statim civitati jus quoddam majus in nos, & nostra nascitur, quatenus ad finem illum id necessarium est, & ideò constitutis judiciis publicis libertas illa, status naturalis cuilibet propria necessario restricta esse intelligitur, quanquam enim judicia publica non à natura, sed factò sint humano: cum tamen multò honestius, & ad felicitatem hominum conducibilius, ab eo, cujus nihil interstrem controversam cognosci, quam homines singulos, sui sapius nimirum amantes, quod jus putant, id manu exequi, tam laudabili Judiciorum instituto obsequendum, ipsa ratio naturalis dicat. Inde fit, ut vim vocent leges civiles, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit. *

§. V.

(b) Molina de J. & J. tr. D. 2. §. 4.

* Quam in rem extat decretum Marci L. 13. ff. quod met. caul. Gest. erit. in hæc verba: *Optimum est; ut si quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris. Cum Marcianus diceret, vim nullam feci: Casar dixit, tu vim putas esse solam, si homines vulnerentur? vis est & tunc, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit. Quisquis igitur probatus mihi fuerit rem ullam debitoris, vel pecuniam (debitam) non ab ipso sibi spontè datam, sine ullo judice temerè possidere, vel accepisse, isque sibi jus in eam rem dixisse; jus crediti non habebit.*

§: V.

Ex quo tamen minimè sequitur, jura omnia esse personalia.

QUAMVIS autem jura personæ tantùm competere asseramus, inde tamen minimè sequitur, jura omnia esse personalia. Illud enim demum est *jus personale* (quatenus opponitur reali) quod personæ immediatè *in Persona*, nullo respectu ad rem aliquam habito, competit, & cum persona perit. *Reale* autem dicimus, quod quidem etiam personæ competit, sed *propter certam rem* : & idè ad quoslibet ejusdem rei possessores transit, ut servitutes prædiorum, quæ jura *realia* dicuntur, comparatione facta ad *merè personalia* : non quia non ipsa quoque personæ competunt, sed quia non alii competunt, quàm qui rem certam habet. Quo facit, quod Juris consultus Paulus (c) dicit : *Si fundus serviens, vel is, cui servitus debetur, publicaretur : utroque casu durans servitutes, quia cum sua conditione quisque fundus publicaretur.* Qualitates ergo morales rebus non *formaliter*, sed *objectivè* tribui, non incongruè dixit Puffendorffius (d) sic nobilitas non inhæret quidem fundo nobili, sed competit personæ possidenti hoc feudum, ob voluntatem illius, cui jus nobilitandi competit. *

§. VI.

Est autem Jus aliud perfectum, aliud imperfectum.

CUM autem qualitas moralis activa & passiva à lege homini sit concessa, vel imposita : lex autem possit esse ita *perfecta*, & *efficax*, ut & necessitatem internam præstandi id, quod vult, imponat, & simul illud ab invito, vi etiam externâ adhibitâ, extorquendi jus concedat : vel *imperfecta* tantùm sit, & adèd *inefficax*, ut præter aptitudinem recipiendi id, quod concedit, & necessitatem internam illud præstandi, remediis violentis nullum locum relinquat : idèd *jus* in lege etiam exterius cogente fundatum *perfectum* : alterum *minus perfectum* aptissimè ex natura correlatorum nominabimus. Qualis enim est obligatio ex parte unius ad aliquid agendum, vel habendum, tale etiam erit jus ex parte alterius, cui, si *perfectum* est, respondebit obligatio *perfecta*, & vicissim, quo Jurisconsultus Paulus (e) respexisse videtur, dum *quædam voluntatis, & officii magis, quàm necessitatis* esse scripsit. Ex quibus luculenter apparet, quænam *officia perfecta*, quænam *imperfecta* appellari mereantur.

§. VII.

Juris tam perfecti.

CUR verò alia homo homini *jure perfecto*, alia *imperfecto* præstare teneatur : ex ordinata finium connexionione in qualibet societate erit arcessendum ; cum auctor naturæ hominem ad felicitatem non qualemcunque, sed naturæ rationali convenientem, & propriam condiderit : necessariò etiam media huic fini consequendo apta, & congrua suppeditare debuit. Sunt autem

H

quædam

(c) L. 23. §. 2. ff. de servit. præd. rustic.

(d) De J. N. & G. L. 1. c. 1. §. 16. Vid. Instit. Imp. l. 1. Tit. 8. & l. 2. tit. 1, ibique comment.

* Ex his facillè decidenda erit illa inter Jurispublici Romano-Germanici Doctores controversa quæstio : an *dignitas*, seu *jus status imperii* sit annexum *gleba* (ut loquuntur) seu *territorio*, an verò personæ?

(e) L. 17. §. 3. ff. commod.

quædam ita comparata, ut si hominibus ea impunè præstare, vel non præstare liceret, miserrima humani generis conditio esset futura: ideò ex necessitate finis ab auctore naturæ intenti aliqua non tantùm *vim moralem*, sed etiam *Physicam* adversùs invitum adhibendam accipere, & jus, seu obligationem perfectam producere debuerunt, quæ omnia ex inexhausto illo mutui, & omnium animis insiti amoris, ad felicem generis humani statum simpliciter necessarii, adeoque naturaliter debiti fonte non possunt non largissimè promanare. Sic natura homini *sum* est jure perfectò vita (non quidem ad perdendum sed custodiendum) membra, fama, honor, actiones propriæ, quæ meritò *jura* homini *commata* dixeris ad oppositionem eorum, quæ pacto vel lege civili acquiri possunt. Quamvis ipsa capacitas pacto & lege aliquid aquirendi inter jura perfectà homini congenita emineat. Quod nec ipse Hobbësius in dubium trahere videtur, & præcipuam ex omnibus legibus naturalibus hanc esse ait, *pacta serbare*, quibus tantam tribuit efficaciam, ut *injuriam* (f) *nisi post juris in alium translationem existere posse neges*, & inde jus tantùm hominibus ejusdem civitatis adjudicet, ac *ex lege civili sola colligendum esse*, asserat, *quid fas, quid nefas, bonum, scelestum sit, quid* (inquirens) (g) *furtum, homicidium, adulterium, & injuria sit, id ex legibus civilibus cognoscendum est, nec aliter sunt talia, quàm si per has declarentur*. Sed utique pacta, & leges Civiles non habent à se, quòd jus perfectum parere sint idoneæ, verùm à conditore naturæ, quem *hic* turpiter ignorare affectavit Hobbësius.

§. VIII.

Quàm imperfecti origo ex communi humano generi insito amore derivanda est.

Sed & *Jura*, hisque respondentia *officia imperfecta* ex eodem omnibus hominibus communi, & à naturâ debiti amoris fonte derivanda esse, felicitatis humanæ consequendæ finis, & ratio suadent, cui ille minimè satisfacere censendus est, qui ab injusta læsione alterius quocunque modo abstinet, (*cùm parùm sit*, si S. Augustino (h) credimus, *nemini nocere, nisi studeas multis prodesse*) sed fortissimum illud mutui amoris non qualiscunque, sed ex debito quodam naturalis æquitatis resultans, & humanum genus complectens vinculum longè arctiùs stringit. Cùm enim *homo* dicente Seneca (i) *in adiutorium mutuum generatus*, & juxta eundem (k) *alius re, aliis fide, aliis gratia, aliis consilio, aliis præceptis selectioribus* indigeat, & adjuvandus sit, ac etiam omnium rerum, ut Cicero ait, (l) *quas ad communem hominum usum natura genuit, servanda sit communitas: communia autem sunt, non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere, si quis velit: consilium fidele deliberanti dare, que sunt iis utilis, qui accipiunt, danti non molesta*, hinc intellectu est facile *imperfecta jura, & officia* ad completam societatis humanæ felicitatem pertinere, atque adeò æquè ac perfectà (modo tamen exigendi diverso) à natura imperari. Ne tamen Jurisprudentia naturalis nimis grave onus imponere videatur, ab ea tantùm illa officia imperfecta respici, & dirigi existimamus, quæ iis utilis, qui accipiunt, & danti non molesta, atque adeò ut Grotius loquitur, *innoxia utilitatis* (m) esse censentur: ea verò, quæ sine detrimento, molestia, & sum-

(f) C. 3. §. 1. 2. 3. 4. de Cive.

(g) C. 13. §. 7. eod.

(h) L. 19. de civit. Dei. c. 14.

(i) De ira L. 1. c. 5.

(k) L. 1. c. 2. de benef.

(l) De offic. L. 1. c. 16.

(m) L. 2. c. 2. §. 11. apud Puffend. l. 3. c. 3. *officia humanitatis* appellantur.

& sumptu exhiberi nequeunt, & ex mera beneficentia * proficiuntur, merito ad Ethicam ablegamus, quò per se spectant, & merè per accidens ad jus naturale propriè dictum referri possunt.

§. IX.

*Ex Juris perfecti violatione oritur coactio & obligatio reparandi
damnum inde secutum.*

His præcognitis, nunc dispiciendum est, qualem usum, & utilitatem divisio juris in *Perfectum*, & *Imperfectum* præstet? Nos missis illis subtilitatibus justitiæ explettricis, & attributricis, commutativæ, & distributivæ, insignem juris Perfecti, & Imperfecti usum deprehendimus in decidendis quæstionibus I. ex qua juris læsione in societate civili actio concedi, & II. cujus juris intuitu bellum (quod inter gentes, earumque Rectores in societate seu statu naturali viventes actionis locum obtinet) justè geri queat. Cùm enim ille jus meum perfectum lædere censeatur, qui facit, vel facere intendit, cujus faciendi jus non habet, vel non facit, ad quod faciendum mihi obligatur, adeoque faciendò id, quod jure facere nec potest, nec debet, & non faciendò, quod jure facere, & potest, & debet, non jure, seu *injuriam facere* dicatur, injuriam autem nemo pati teneatur, utpote quæ societatem humanam turbat: consequens est in promptu debere esse *remedia coactiva*, ad jure perfecto debitum etiam ab invito, consequendum, ne aliàs jus reddatur elusorium. Remedium autem illud coactivum inter eos, qui in statu naturali vivunt, *Bellum* vocatur. Inter eos autem, qui in statu Civili degunt, vel *Pœna*, (qua superior) vel *Actio* (qua par in parem utitur) quemadmodum verò vel læsio juris, seu injuria inferenda tantùm imminet, vel jam illata est, damnumque inde secutum: ita hæc remedia, vel ad illam arcendam, vel propter hanc ad satisfactionem exigendam adhiberi possunt, quam qui læso, & damnum passo denegat, novam illi injuriam inferre, ac denuò illuræ lædere rectè dicitur.

Satisfactionis nomine venit præstatio ejus, quod lex à lædente exigit, quæ in eo consistit, I. ut is, qui causa moralis vel Physica damni dati est, id reparet: & ut II. quia læsione juris faciendò, vel non faciendò legislatori ipsi, qui aliquid faciendum, vel non faciendum lege sua præscripsit, injuriam intulit. Quamobrem sola læsio *juris perfecti* satisfactionem, & pœnam à legislatore præstitutam, & damni reparationem ** ita (n) continet, ut una alteram ideò non tollat, quia vitiositas actûs, ob quam pœna irrogatur, & damnum, quod resarciendum est, in delicto separari nequeunt.

Damnum autem fortè à demendo dictum est, *cùm quis minus habet suo*, sive deinde illud *suum* sit *commatum*, sive *aquisitum*, quod vel ita comparatum est, ut omnia in pristinum statum restitui queant: vel ut infectum, quia factum, fieri nequeat.

Illo casu ipsa rei natura exposcit, ut omnia in priorem statum reponantur, simulque damnum, cum omni causa (quoniam læsus eo ipso, quòd re sua &

H 2

fructibus

* Videndus & legendus est liber, quem Seneca composuit, & de beneficiis inscripsit, qui perquam multis Christianis ruborem excutiet, qui, quasi extra societatem humanam constituti sibi, non aliis essent nati, *auferentes aliquid de rebus suis, & in usum conferentes tam dolent, quàm si de corpore ipsis adimeretur.* Stobæus Strom. 10.

** De differentia satisfactionis & restitutionis damni dati, in foro Theologico vid. Domin. Soto de Jur. & Instit. l. 4. quæst. 6. art. 1.

(n) Grot. l. 2. c. 17. §. 22. & c. 21. §. 1.

fructibus ex ea natis non tantum carere, sed forte etiam pro iis recuperandis sumptus facere debuit, *minus suo habet*) refarciatur. Hoc, ut æqua æstimatione, forte pecuniâ, communi rerum omnium utilium mensurâ, tantum, quantum fieri potest, læsus præstetur indemnus, & ea in re non modò veri pretii, sed & affectionis ratio meritò habeatur. Jus enim perfectum vult, ut nemo lædatur, & jus suum cuique tribuatur.

Qua omnia aliter se habent respectu Juris imperfecti,

§. X.

Alia autem est ratio officiorum jure imperfecto debitorum, quæ, cum conscientiam tantum stringant, & solo pudore, ac reverentiâ Numinis contentent, nec vi bellica in statu naturali, nec actione forensi in statu Civili coram superiore intentata extundi possunt, nec etiam ex eorum omissione damni forte inde secuti reparatio fieri debet. Non tantum autem officia hæc innoxie utilitatis cum laude præstantur, sed etiam omitti sine culpa nequeunt; quia fundamentum suum in debito quodam ad felicitatem, naturæ rationali propriam & completam necessariò habent, & eatenus obligationem *internam, & externam* sui generis supposita occasione, & circumstantiis secundum magis, & minus producant. Ut paucis dicam, jus, vel obligatio imperfecta comparatione facta ad alias virtutes est *jus quoddam*, est *obligatio quadam*, quæ de natura justitiæ ad modum, distributiæ participat, respectu autem habito ad jus, & obligationem perfectam, quam etiam *Rigorosam* vocant, est tantum *imperfecta*, & *minus plena*. In beneficii autem denegatione, & aliarum virtutum neglectu nulla per se ne quidem improprie dicta latet *injuria*, & hinc etiam, qui beneficium dedit, nullum habet jus ad reposcendam gratiam, alioquin contractus foret, non beneficium. Quod optimè agnovit Seneca (o) *Cum res honesta sit*, inquit, *referre gratiam, desinit honesta esse, si necessaria est; non enim magis laudabile quisquam gratum hominem, quam eum, qui depositum reddit, aut, quod debebat, citra judicium solvit. Ita duas res, quibus in vita humana nihil pulchrius est, corrumpimus, gratum animum, & beneficium. Quid enim aut in hoc magnificum est, si beneficium non dat, sed commodat? aut in illo, qui reddit, non, quia vult, sed quia necesse est? non est gloriosa res, gratum esse: nisi tantum est, ingratum fuisse.*

§. XI.

Quod variis modis mutatur in perfectum.

Stabilita hætenus Juris *perfecti*, & *imperfecti* differentia tam diu manet vera, quamdiu unum jus non migrat in alterum. Nonnunquam enim evenit, ut jure imperfecto debita ex jure perfecto exigiqueant, toties scilicet, quoties. I. *Intervenit pactum*: modus maximè naturalis se obligandi alteri, & officia imperfecta immutandi in perfecta: & sic enim fit necessitatis, quod prius fuit voluntatis. Ejusdem efficacitatis est II. *Ineluctabilis necessitas*, quæ omni lege superior esse prætenditur, & juxta Senecam omne arbitrium tollit, de variis necessitatis gradibus, & effectibus nos alio loco agemus. Et denique III. *Voluntas imperantis Dei, vel hominis*, id est *Lex*, vitæ, rerum & actionum liberarum domina, qua superveniente nova debendi ratio accedit, quæ jam ad justitiam propriè dictam pertinet. Nam quamvis par parem cogere nequeat, nisi ad id, quod ex jure debetur perfectò: superior tamen etiam cogere potest ad

(o) L. 3. de benef. C. 7.

ad ea, quæ improprie & imperfectè debentur, quod in jure Superioris proprio & perfecto, *qua Superior est*, jam comprehensum sit, oportet. Hinc, cum vis aquæ aggerem, qui in vicini fundo erat, dejecisse diceretur, indeque effectum esset, ut aqua pluvia mihi noceret, & dubitaretur, possemne vicinum indistinctè cogere aquæ pluvie arcendæ actione, ut aggerem, vel ipse reponeret, vel ipse reponi sineret, appositè respondit Jurisconsultus (p) *deficere quidem aqua pluvie actionem: attamen utilem actionem, vel interdictum mihi competere adversus vicinum, si velim aggerem restituere in agro ejus, qui factus quidem mihi prodesse potest, tibi verò nihil nociturus est: nam hæc aequitatem suggerere etsi jure deficiamus.*

§. XII.

Et perfectum variis etiam modis extinguitur.

EX adverso non rarò accidit, ut jus perfectum esse desinat, partim *sponsanea cujusvis renunciatione*, si v.g. debitor remittat debitum, renuntiatio tamen effectum non habet, si obligatio remedium necessarium, & inseparabile sit exequendæ alieujus obligationis à superiore injunctæ. Hinc illi, quorum officium est ab aliis vim arcere, quales sunt milites ad defendendam rempublicam conducti, defensionem vitæ suæ omittere nequeunt. Partim *Voluntate superioris*, si salva obligatione interna, seu naturali remedium cogens, id est, actionem in foro instituendam tantùm deneget, quod Legibus (q) Romanorum intuitu pacti nudi cautum fuisse constat. Vel *ex justa causa jus omninò tollat* in altero, cui obligatio quaesita est, uti patet in præscriptione, senatus Consulto Macedoniano &c. inde etiam orta est notissima divisio obligationis in naturalem tantùm, & naturalem, & Civilem simul. Cave tamen hæc confundas legem obligantem cum obligatione ex lege, etsi enim hæc sit mutabilis, poterit tamen lex esse immutabilis, quia lex est propositio universalis, quæ non mutatur, etsi obligatio unius individui extinguatur; manet v.g. lex: solve debitum, etiamsi Princeps in pœnam improborum sceleratorum Senatusconsulto Macedoniano obligationem filiorum familias sustulerit. Sed de his tantùm in transitu, plura Jurisprudencia universalis publica dabit.

§. XIII.

Jus perfectum & imperfectum non debet confundi.

Porrò cavendum, ne in hac juris perfecti, & imperfecti materia confundantur ea, quæ diversi generis sunt. * Sic qui vi, vel dolo aliquem impedit à consequendo quodam officio, & beneficio, quo dignus erat, vel ne instituat hæres, vel ne accipiat legatum, tenetur ad reparationem damni injuria dati, quanti prudentum judicio spes illa valebat, quoniam ipsa aptitudo consequendi officium, hæreditatem, legatum juri perfecto, hominibus ab ipsa natura concessa accenseri debet, cui vi, aut dolo impedimentum ponere vera injuria est. Contra Princeps, officiorum Dispensator, præferendo indignum ad officium, digno nullam infert injuriam, & idè etiam ei nullum resarcit damnum, sed reipublicæ, quod fortè ex prælatione indigni sensit. Respublica enim à Principe, cui curam distribuendorum officiorum demandavit, jure perfecto exigit, ut dignum eligat. Sic cuilibet liberum est (salvis tamen

I

legibus

(p) Paulus L. 2. §. 5. ff. de aqua, & aquæ pluv. arcen.

(q) Sic obligatio naturalis in pacto nudo remanens varios effectus producit, ut puta exceptionem L. 7. pr. ff. de pact. recipit constitutum L. 1. §. 2. ff. de const. pecun. excludit conditionem indebiti L. 13. L. 26. §. 12. ff. de condict. indeb. L. 10. ff. de A. & O. admittit compensationem L. 6. ff. de compens. item novationem L. 1. §. ult. ff. de novat.

* Videatur Lessius de J. & J. L. 2. C. 12. Dubit. 18.

legibus cujuslibet civitatis) de rebus suis mortis causâ disponere pro lubitu, & eatenus nemini facit injuriam. Ast injuria est, testatorem, mihi legatum relinquere paratum, vi, vel dolo, ne id fiat, impedire, quia libertas testandi, & capacitas ex testamento accipiendi aliquid, juris est naturalis, & quidem perfecti.

§. XIV.

Deinde aliud jus est externum, aliud internum.

Dividi etiam solet jus ad personas relatum in *Internum*, & *Externum*. Illud est, quod agentem non tantum impunitum coram hominibus, sed & à peccato immunem, & tutum coram Deo reddit. Hoc dicitur, quod leges non persequuntur, & agendi impunitate ita constat, ut *Judicio externo nullus sit locus*. Inde est, quod multa legibus permilla dicantur, quæ minimè tamen honesta esse scimus. *Non omne*, ait *Regula Juris (r) quod licet, honestum est*. Licuit legibus Quiritum mulieri se in concubinatum dare, (s) quæ tamen hoc fecisset, matrifamilias honestatem non habuit. Licitum est dare mercedem meretrici, attamen turpis hæc causa est. (t) Possent sexcenta ejusmodi in medium afferri: sed cogitandum cum Seneca (u) *quam angusta innocentia sit ad legem bonum esse, & quanto latius officiorum pateat, quam juris regula, quam multa pietas, humanitas, liberalitas, justitia, fides exigunt, qua omnia extra publicas tabulas sunt*? Coacti enim fuerunt legum Civilium conditores in tanta hominum ad peccandum proclivitate ac peccantium multitudine non pauca verecundiæ, & conscientiæ cujusque relinquere. Hinc, licet nihil magis fidei humanæ congruum, magisque honestum sit, quam cuncta, quæ inter homines animo se obligandi placuerunt, ab ipsis servari. Romanis tamen ad conditionem suorum civium respicientibus aliter placuit, ut nolent videri pacta, quibus non subesset negotium, & ideo, cum nulla subest causa, propter conventionem non posse constitui obligationem, & nudam pactionem non parere obligationem (x) statuerunt. Aded verum est illud Ciceronis (y) *Leges tollere astutias, quatenus manu teneri possunt, eoque differre à dogmatibus Philosophorum, qui de iisdem tollendis differunt, sola ratione, & intelligentia*. Nec aliter visum est gentibus, earumque Rectoribus, qui parùm curant opera illicita uti non tantum eorum, qui spontè eam offerunt, sed etiam largitionibus alienorum subditorum fidem sollicitare inter jure gentium licita referunt. At Camillus Consul honestum præ oculis habens censuit, cum Magister Ludi Faliscorum, à Romanis obsessorum, nobilissimos pueros, velut ambulandi gratiâ educatos, in castra Romanorum perduxisset, ut pueri vincitum Magistrum virgibus cadentes in patriam remitterentur. (z)

§. XV.

Jus perfectum continet tres species, libertatem, dominium & creditum.

Juris perfecti species sunt *Libertas*, *Dominium*, & *Creditum*. Habet scilicet homo à natura *libertatem*, seu *potestatem se ipsum regendi*, quæ nihil aliud est, quàm *libertas Personalis*, Definita à Justiniano, (a) quod sit *facultas naturalis*

(r) L. 144. ff. de Reg. Jur.

(s) L. 41. ff. de ritu nupt.

(t) L. 4. §. sed quod ff. de condict. ob turp. caus.

(u) de ira L. 2. C. 28.

(x) Lex 7. §. 4. ff. de pactis simplicior & sincerior est, & ab omni tempore fuit jurisprudentia germanorum, quibus, fidem datam fallere semper turpe fuit, nam teste Tacito, Ann. l. 13. c. 54. *nulli mortalium armis aut fide ante Germanos sunt*.

(y) De offic. Lib. 3.

(z) Val. Max. L. 6. c. 5. §. 1. & Liv. Hist. Rom. L. 5. c. 27.

(a) Inst. de Jure Pers. §. 1.

lis ejus, quod cuique facere libet, nisi siquid vi, aut jure prohibetur, quam, qui habet, sui juris esse dicitur. Datur etiam libertas, seu potestas regendi alios, qualis est Parentum in liberos, Domini in servos, Regis in subditos, quæ Imperium etiam vocari solet: quod vel est *Summum & publicum simul*, personæ compositæ, seu morali, id est, vel Regi, vel optimatibus, vel populo in subditos competens, quod Recentiores *Majestatem, Libertasemque Civilem* * (id est potestatem populi in se, vel jus regendæ civitatis per se,) appellare consueverunt. Hinc populus ab extraneo imperio liber eodem modo, qua persona privata libera *sui juris* esse dicitur. Vel Imperium est *summum* quidem, & *independens*, sed *privatum tantum*, personæ simplici, id est Patrifamilias ad regendam societatem minorem, seu familiam à natura concessum, & inde, quia in statu naturæ à nemine dependet, à Valerio Maximo (b) *Patria Majestas* vocatum. *Dominium* latè sumptum ambitu suo etiam potestatem Marito in uxorem, Parentibus in liberos, Domino in servos datam comprehendere, in sensu autem strictiore tantum *jus in res* denotare solet, & sic iterum accipitur vel latius *pro jure in re* qualicunque, corporali, & incorporali, directo, & utili, pleno, & minùs pleno, usufructu, & pignore, vel strictiùs, (more interpretum juris Romani) *pro principaliore specie juris in re*, quod pluribus prosequi instituti nostri non est.

Per *Creditum* intelligimus *jus ad rem*, & non tantum id, quod oritur ex mutuo, sed omne illud, quod alicui vi cujuscunque promissionis, pacti, contractùs, imò maleficii culpa, vel dolo, damni que inde secuti debetur: *Creditorum* enim *appellatione* fatente ipso Jurisconsulto (c) *non hi tantum accipiuntur, qui pecuniam crediderunt, sed omnes, quibus ex qualibet causa debetur, ut si cui ex empto, vel ex locato, vel alio nullo debetur, sed et si ex delicto debeatur, mihi videtur creditoris loco accipi.*

§. XVI.

Sub qua consideratione dentque vel est privatum vel publicum.

ET quemadmodum facultas cum speciebus modò recensitis vel personæ simplici, id est singulis ad usum privatum, vel personæ compositæ, seu morali quâ tali, ad usum publicum competere potest: ita priorem *Privatam*, seu *Vulgarem*, posteriorem *Publicam*, & *eminensem* cum Grotio (d) rectè appellabimus. Facultas hæc publica frequentissimè domini alti, & eminentis vocabulo exprimitur, quod ipsum multis ansam dedit litem non tam circa rem ipsam, quàm vocabulum movendi. (e) Non negant enim Societati Civili, vel ei, qui illius curam gerit, boni communis causâ imperium competere in subditos, & res subditorum: Dominio autem hoc tribuere scrupulo

I 2

sibi

* Non ineptè tamen distinguitur inter *Majestatem*, ejusque *Jura*, quæ circa statum civitatis internum versantur, & respectu civium tantum vim suam exerunt, ut *jus ferendi leges*, & inter *jura libertatis naturalis*, quæ *Majestatem* quidem comitantur, eique vi libertatis naturalis, quæ superioris impatiens est, necessario coherent, sed alias gentes potissimum respiciunt, & inde ad *jura gentibus quæ talibus* communia & propria merito referri debent, qualia sunt *Jus belli, Jus fæderum* &c. &c.

(b) L. 7. c. 7. §. 5.

(c) Vid. L. 10. 11. & 12. ff. de Verb. signif.

(d) L. 1. c. 1. §. 6.

(e) Vid. Joann. Schilterus manuduct. Philos. moral. C. 8. §. 67. & seqq. Item Wilhelmi Leiferi Scripta Polemica pro Imperio contra Dominium eminentis. Jo. Henr. Boeclerus pro more fluctuat in dissert. de Dominio eminenti, quæ inserta est ipsius comment. ad Grotii cap. 1.

sibi ducunt, ne persuasione domini, Principi in subditos, eorumque bona pro lubitu grassandi, & sic peccandi occasio præbeatur. Quasi verò malus Princeps non æquè jure imperii, ac domini abuti queat, & non idem sit, an Princeps dicatur subditos jure imperii cogere, ut v. g. bona sua exhibeant, an jure domini eminentis ea subditis auferre. Per me appellare licet hoc civitatum *jus, imperium, vel dominium altum, & eminentis*: verborum sonus me non terret: modò illi, qui vel imperio, vel dominio eminente uti volunt, sibi persuasum habeant, uti habere debent, nec uni, nec alteri locum esse, nisi boni communis causâ, id est, in calu *necessitatis* (non tamen extremæ tantum, quo casu Respublica uteretur jure privatorum) vel *evidentis utilitatis*. Et in hoc sensu verissimum est, quod apud Senecam (f) legitur, *ad Reges potestatem omnium pertinere, ad singulos proprietatem*. Potestas autem illa eminentis porrigitur ad personas, & bona subditorum, qua sublata, civitatem salvam esse non posse, nemo est, qui non intelligat.

Nam illi, qui relicta libertate naturali in unum corpus civile, quod civitatem, seu Rempubicam appellamus, jure, bonoque communi fruendi causâ coaluerunt, & potestati, vel unius, vel plurium, vel totius corporis collectivè sumpti se subjecerunt, censentur ei omne illud jus tribuisse, sinè quo impossibile foret; ut totum corpus sive deinde Monarchiæ, sive Aristocratix, sive Democratiæ formam induerit, servari posset. Qui enim dat jus ad finem, dat etiam jus ad media, sinè quibus ille finis obtineri non posset.

(f) De benef. L. 7. c. 4.



C A P U T I V.

De actionum humanarum Norma seu lege in genere.

§. I.

Homo ad edendas actiones justas norma indiget,



UT homo jure agere, & actiones justas edere possit, norma quædam, juxta quam eas instituat, & componat, intellectui præluere, & voluntatem dirigere debet. Cùm enim omnia, quæ æquè facillè à tramite deflectere, ac viam rectam tenere possunt, norma, ad quam dirigantur, indigeant, multò magis actiones humanæ liberæ eo ipso, quia ab homine, ad malum & bonum libero, proficiscuntur, tali norma indigebunt, quâ in vita humana nihil magis necessarium esse ex hac ipsa hominis conditione satis apparet.

§. II.

Quæ nulla alia est, quàm Lex.

HÆc dirigendæ voluntatis & actionis humanæ norma communi vocabulo *Jus* seu *Lex* vocatur, cujus tot sunt significationes, quot normæ actuum moralium. Unde in lata significatione lex denotat præcepta doctrinalia, seu consilia, jussa Regum, & Dominorum, seu Imperia: monita paterna, ex Imperio & consilio composita, & conditiones conventionum seu pacta,

facta, quibus convenit definitio Grotii (a) quod lex sit Regula actuum moralium, obligans ad id, quod rectum est. Strictè lex sumitur pro jussis imperantium, seu dominorum, sive Regum, & Magistratum. Strictissimè pro jussibus universalibus ejus, qui communitati perfectæ imperandi jus habet. Et sic sumpta definitur à variis variè: à S. Thoma (b) quod *sit ordinatio rationis in bonum commune ab eo, qui curam communis habet, promulgata.* Fortè etiam describi posset, quod sit *decretum justum ac stabile ab Imperante subditis prescriptum, & promulgatum, ut cujus actiones suas liberas institueret, aut omittere, vel aliorum permittere obligantur.* Ex quibus apparet, legem variis constare partibus. Nam in ea est I. iudicium, seu actus intellectus legislatoris, quo judicat aliquid faciendum, aut non faciendum, obligandumque esse subditum. II. Decretum, seu actus voluntatis, quò subditum obligare constituit. III. Promulgatio, quâ lex subdito indicatur, quam denique IV. subsequitur intelligentia subditi, obligationem suam agnoscentis, aut sanè culpâ suâ ignorantis, seu ratiocinatio ex cognitione legis ab Imperante prescriptæ resultans, & subdito indicans iram Imperantis, & poenam, si contra fecerit. *

§. III.

Ad cujus essentiam requiritur obligatio,

Obligacionem in omni lege requirimus, quæ respectu habito ad legem strictissimè acceptam dici potest, quod sit qualitas moralis passiva vinculi instar subdito ab Imperante injecta, ejusque libertatem restringens ad aliquid dandum, faciendum, vel non faciendum. Est autem obligatio sive interna, sive externa illa sit, propriè loquendo nihil aliud quàm *connexio motivi cum actione libera*, quia voluntas, dum ad agendum, vel non agendum se se determinat, motivis utitur, sine quibus actionem bonam appetere, vel malam averfari nequit, cum autem illa motiva, vel in ipsa actionum bonitate, & pravitate, vel in entis cujusdam, cujus Imperium agnoscimus, actiones aliquas sub comminatione poenæ prohibentis, præcipientisve voluntate deprehendantur, prior *obligatio interna*, altera *externa* non ineptè vocabitur.

§. IV.

Qua non obstante datur tamen lex permittens.

Obligatio legi inhærens non tamen impedit divisionem legis in *obligantem*, & *permissentem*, quia enim obligatio, & jura tanquam correlata pari passu ambulant, & jura alitundè non dependent, quàm ex lege permittente, mirum est, cur legem permittentem non æquè necessariam existimemus, quàm obligantem? sicut enim hæc requiritur, *ut agere debeas.* Ita illa necessaria est, ut securè agere possis: qui effectus veritatem causæ suæ satis insinuat. Nec obstat permissionem non actionem, sed actionis negationem esse. Nam licèt hoc aliquando verum sit, in dando tamen jure omnino licitè operandi, & concessione juris præcipuè singularis, permissio positiva negari nequit. (c) Imò lex permissiva etiam agere censetur obligando, non eum quidem, cui permittit, sed tertium; ne impediatur.

K

Id

(a) De D. B. & P. l. 1. c. 1. §. 9.

(b) 1. 2. q. 91. art. 4.

* Quæ itaque hoc loco à Theologis disputantur, sitne lex opus intellectus, an voluntatis? nobis nequaquam necessaria sunt, cum utrumque complectatur Vid. omninò Franc. Suarez in numeris omnibus absolutissimo Tract. de legibus. l. 1. c. 4. & 5.

(c) Suarez de leg. l. 1. c. 15. §. 5. & seq.

Id enim, quod leges permittunt; vel etiam suadent, in univcrsum quidem relinquunt arbitrio, ac potestati eorum absque ulla necessitate, veluti, ut quis de rebus suis disponat, testamentum condat, tutores testamento det, liberis impuberibus, aut mente captis substituatur. &c Reliquorum tamen Civium respectu sunt leges propriè dictæ, & obligandi effectum non carent, in quantum uni permittentes ea, quæ non subjacent juris necessitati, aliis vetant, ne quis isti libertati, atque licentiæ per leges indulgæ impedimentum struat, ut v.g. quis alium testari prohibeat, vel cogat, nève ad contrahendum, aditionem hæreditatis, aut repudiationem faciendam, aliæque similia compellat invitum. Hinc omnis lex est obligatoria, sive sit affirmativa, seu imperet, sive negativa, seu vetet, sive puniat, sive permittat, (d) sive suadeat, (e) sive præmia tribuat, (f) sive delicti gratiam faciat, (g) quia omnis lex aliquid præcipit, contrarium prohibet, & aliud permittit. Et cum omnis lex simul præcipiat, prohibeat, ac permittat: sequitur, omnem legem obligationem simul & Jus producere. Dum enim lex aliquam actionem præcipit, aut prohibet, obligationem, dum permittit, Jus præcreat: & vi. correlativorum, si alter est obligatus, alteri Jus est, vel facultas aliquid ab altero exigendi.

§. V.

Differt à Consilio, & Pacto.

Porro, quia lex est decretum imperantis, obligatorium, per hoc satis differt à consilio, & pacto. Facere enim id, quod lege præcipitur, officii, quod consilii, etiam arbitrii est. Consilium dirigitur ad finem ejus, cui datur, lex autem ad finem ejus, qui præcipit. Consilium non nisi volentibus datur, & vim cogendi non habet, lex etiam nolentibus imponitur, eosque cogit. Et denique jus consiliiarii tollitur arbitrio ejus, cui consilium datur. Jus autem legislatoris non tollitur arbitrio ejus, cui imponitur lex. Et quamvis consilium subindè etiam obligationis vinculum injicere possit, id tamen non fit vi consilii quæ talis; quia consilium dans tantum persuadere intendit: & idèd rationes, & motiva suppeditat, quibus obligationem internam excitare, & ostendere conatur, cur quid fieri, vel omitti debeat: Lex autem rationes quidem præsupponit, non tamen persuadere tantum vult, sed etiam cogere; & hinc non multum ratiocinatur, legem enim brevem esse oportet, ut rectè monet Seneca: (h) *Quò facilius ab imperitis teneatur, velut divinitus emissa vox sit, jubeat, non disputet.* Addens: *Nihil mihi frigidius videtur, nihil ineptius, quam lex cum prologo.* Mone, dic, quid me velis fecisse: non disco, sed pareo.

Ut adèd consilium à lege præcipuè in eo distinguatur, quod per illud, rationibus ex ipsa re petitis, ad suscipiendum quid, aut omittendum adducere quis conetur illum, in quem saltem quoad præsens negotium potestatem non habet, vel habere non vult, sic ut obligatio nulla eidem adferatur, sed in arbitrio ipsius relinquatur, sequi velit consilium, an minùs: Lex verò licèt & ipsa suis non debeat carere rationibus, hæc tamen propriè causa non est, quare ipsi obsequium præstetur, sed potestas præcipientis, qui, ubi voluntatis suæ decretum significavit, obligationem adfert subdito omnino juxta præscriptum

(d) Vid. l. 7. ff. de leg.

(e) L. 1. §. 3. ff. de peric. & comod. rei vend. l. 24. ff. de rei Vind. §. 3. Instit. de pupill. substit.

(f) L. 1. §. 1. ff. de J. & J.

(g) L. 22. ff. de leg. & l. 5. §. ult. ff. de re milit.

(h) Epist. 94.

ptum suum agendi, est, si fors ipsi rationes præcepti haud ita liquidò appareant. (i) Essentialis differentia obligationis ex *Lege*, & *Pactò* venientis in eo se exserit, quòd lex semper obliget sinè pacto, pactum autem, utpotè cum pari quà tali initum, nunquam sine lege, at leges civiles oriuntur ex pacto ? sed tamen non sunt pactum. In pacto priùs determinatur, quid faciendum sit, quàm ad faciendum obligemur. Quamvis etiam pactum possit esse causa, vel saltem conditio, sine qua non, obligationis legalis. Quin & ipsa pacta leges vocari non infrequens est. *

§. VI.

Quoniam Legem nemo, nisi imperans præscribere potest.

Legem in genere talem nemo proponere potest, nisi Superior, ex natura enim rei contradictionem involvit, quòd æqualis æqualem, aut inferior Superiorem, contra ejus voluntatem legis vinculo obstringat, (k) quia nulla est ratio, cur unus alteri magis obedire teneatur, quàm è converso. Legem autem verè talem non decernit, qualiscunque Superior v. g. ordine, dignitate, beneficio (nam aliàs etiam Pater Filio, Dominus Servo leges, & non præcepta præscriberet) sed Superior potestate publica, seu gubernativa in communitate, id est *summus Imperans*, qui in communitate quadam perfectà Principem locum obrinet, totiusque communitatis bonum procurare tenetur; & ideò omnes alias superioritates sibi subjectas habet. Ad rem Aristoteles (l) *Patriis præceptio* ait: *vires non habet, neque necessitatem, neque ullius omninò unius viri, nisi sit Rex, vel aliquis talis: Lex autem habet vim cogentem.*

Et Plutarchus (m) *Legem esse Principis opus* dixit. Ut autem tam obligatio quàm jus, quæ ex lege originem trahunt, effectum suum fortiantur, in impetrante I. Jus dirigendi actiones subditorum, & II. potestas repræsenrandi malum ei, qui præscriptum neglexerit, adesse debet. Utrumque in eminentissimo gradu ex se habet *DEUS*, & ab ejus infinita providentia, sapientia, & liberalitate immediatè vel mediatè *homo*. Ergo omnis imperans est vel *DEUS*, vel *Homo*.

§. VII.

Undenam autem Imperium in homines oriatur? disquiritur.

Undenam verò illud Imperium in homines, & Jus, & potestas obligandi, & puniendi derivari debeat, variè disquiri video. Censuram præ omnibus meretur exotica Hobbesii opinio: *Omne Imperium & Jus dominandi ex sola potentia, & cogendi viribus deducuntis.* Quasi *Jus*, & *Vis* sola literarum transpositione differrent, & idem sit cogere viribus naturalibus, & obligare, ex quo absurdissimum illud sequeretur, fortiori viribus, etiam fortius jus competere.

Pulchrè Cicero (n) de obligatione juramenti, *non inquit: in eo, qui meus, sed qua vis sit, debet intelligi, id est, quod jus, qua ratio, quod ad omnem*

K 2

omnino

(i) Pufendorff. de J. N. & G. l. 1. c. 6. §. 1.

* Sic in Imperio nostro Romano-Germanico capitulationes Cæsareæ, Pacificationes, v. g. Profana, Religiosa, Westphalica. &c. Leges fundamentales audiunt, cum tamen Imperatorem tantum per modum pacti, cæteros verò ut veræ leges obligent.

(k) Vid. Suarez de leg. l. 1. c. 8. §. 3. & seqq.

(l) Ethic. L. 10. c. ult.

(m) In comment. in Principe requirit doctrinam.

(n) de offic. l. 3. c. 29.

omnino obligationem spectat. Non tamen per hoc negamus, magnam Juri imperandi fortè non agnito aut spreto à potentia & viribus robur accedere : Quamvis ne quidem his destitutum omni effectu careat.

Neque naturæ præstantia, & alteri melius prospiciendi dexteritas inter justos imperandi titulos referri potest ; quis enim determinabit, uter altero sit regimini magis aptus, natus, & prudentior ? cùm quilibet ferè sibi prudentissimus videatur, adeoque de prudentia regendi alios, perpetua foret inter homines contentio, bellumque ex utraque parte justum.

Dignitas autem, seu aptitudo habendi Imperium non illico ipsum jus actu tribuit : sicut nea ineptitudo Jus statim adimit. Justo enim DEI Judicio Reges quandoque, & Principes inepti, & moribus pessimi Imperium diuturnum tenent, quos utique ob naturæ, aut morum vitia tam parùm exauctorare, quàm integros populos barbaros, & infideles, ideò armis impetere, & libertate civili spoliare licebit.

§. VIII.

Imperii Divini in homines origo, & causa adstruitur.

NOs Imperii Divini originem, & causam non tantùm in immensa supremi hujus Entis perfectione, & bonitate, sed in perpetua creaturæ rationalis dependentia ab eo, seu ingenti creationis beneficio quærendam esse judicamus. Ipsa enim recta ratio perspicuè suggerit, DEO creationis, & conservationis, adeoque perpetuæ dependentiæ titulo, usque ad eò competere Imperium in hominem, tamque justam ab eo obsequii exigendi causam habere, ut ne quidem huic renunciare possit. Quis enim negaverit eum meritò ab altero exigere obsequium, qui alteri existentiæ, & conservationis causa est ? Jure ergo optimo, maximo exigit obsequium ab homine DEUS, in quo homo vivit, movetur, & est. (o) Porro & malum nobis freena mordentibus repræsentare posse DEUM, ejus Justitia, & Omnipotentia nos dubitare non sinit. Denique si renunciasset, vel etiam renunciaret huic in homines Imperio : hoc indignum esset ejus sapientia, & bonitate ; siquidem satis novit, tanquam Ens providentissimum æquè, ac sapientissimum, nos sinè ejus Imperio, ac ductu fore miserimos : ut Ens verò optimum non potest Ens à se conditum, quod se ipsum gubernare nequit, deserere, & summæ miseriæ objicere. Quod verò ejus sapientia & bonitate indignum est, id nec velle, nec posse intelligitur. Renunciare ergò Imperio in homines DEUS nec vult, nec potest. * Quid ergò impudentius excogitari potest, quàm cum impio Hobbesio (p) negare, DEO Imperium in Atheos competere, quia ejus præcepta non agnoscat, nec magis metuunt, neque cum esse credunt ? Tametsi enim id genus hominum longissimè infrà bestiarum conditionem se ipsum abjiciat, naturam tamen humanam, & obligationem illi congenitam, ac perpetuò coherentem erga Creatorem suum neutiquam exuere potest. Nec etiam opus est, ut actu semper vires habeat imperans, subjectos ad obsequium cogendi ; sufficit, si eas jure adhibere, obsequiumque postulare queat. Quæ etiam ratio est, cur à subditis rebellibus perfidisque desertus Princeps obsequium jure exposcat.

§. IX.

(o) Aët. XVII. v. 28.

* Hic conferri omnino debet Ulr. Huber. dig. Inst. l. 2. c. 6. p. m. 426. seq.

(p) Cit. c. 9. 2.

§. IX.

Ex quo promanat Imperium hominum in homines.

EX Imperio DEI promanat imperium hominum ; DEUS enim ut auctor naturæ , & summus universæ generis humani societatis imperans, non potest non huic societati sibi tam charæ, sanctissimam & rectissimam voluntatem suam, præscribendo scilicet normam quandam, manifestare, cui omnes, & singuli, ac tota societas humana voluntates suas conformare, & actiones suas eidem consentaneas edere obligentur, ac ultra & citra quam nequeat consistere rectum : hac autem obligatione constituta sequitur, necessariam esse in terris potestatem, quæ Divinæ hujus voluntatis, seu normæ fines, quocunque in statu homo vivat, custodiat, regat, ac tueatur. Quemadmodum enim DEUS per summam suam sanctitatem id, quod voluit, & quod proinde rectissimum est, non potest non inviolatum velle, ita nec potest non velle potestatem, sine qua id nequeat effici & obtineri. DEUS enim creator, hominem ratione præditum, ita condidit, ut quasi mutuo fœdere, auctori suo pareret, & vicissim feliciter viveret, (q) aliàs, ut perduellis, & hostis excindendus. (r) Hæc autem lex, & conditio creati hominis, nulla sui parte vim atque effectum in terris sortiri potest, nisi sit legitima ejus dispensandæ, tuendæ, & exequendæ potestas.

Evidens ergo est DEI voluntatem esse magistram voluntatis humanæ, hancque Divinæ voluntatis seu Juris naturæ exequendi potestatem à DEO tanquam auctore naturæ hominibus per participationem quandam communicatam esse, neque ab iis exerceri, nisi vice ipsius DEI, adeoque totum DEI negotium hic geri, cum de sanctissima ejus voluntate exequenda seu de Jure naturæ tuendo agatur, & quemadmodum ille, legis hujus lator, & jussor, ita hujus potestatis autor, & mandator est, quam vel ipse per se, vel per alios in terris expedit, quibus ipse eam quasi delegavit. Hinc in terris nihil divinius hac potestate hominibus communicata secundum DEUM fingi potest, imò ipsius DEI est potestas, DEI voluntas, DEI res, DEI jus.

Et quamvis isthæc potestas à DEO, & natura sub modò etiam Parentibus in liberos, Marito in uxorem, Domino in servum collata esse censetur, nobis tamen hic intelligitur illa potestas summa *Imperium Magistratum* (s) aliàs *Majestas* dicta, quæ Vicario quodam DEI Nomine, &, ut formula habet, *DEI gratia* in terris exercetur. Juxta illud : *per me Reges regnant, & legum conditores iusta discernunt.* (t)

§. X.

Quod immediatè datum est universæ Societati generis humani:

Cui verò jam concessa sit summa hæc Imperii in terris potestas ? ambigitur. Sed, cui alii, quàm humani generis corpori competat ? huic enim à DEO & natura in hanc terram, & quæ ea continentur, facultas data est. Etenim cum demonstratum jam sit, DEUM voluisse talem potestatem, voluntatis suæ in terris executricem esse, manifestum est, eam concessam esse, vel potentiis, quæ sunt extra terram, ut Angelis, vel hominibus: *Non illis*, quia agitur de Imperio, quod in terris exercetur inter homines, L quòdque

(q) Conf. Deuter. 10. v. 13. & c. 5. v. 16.

(r) Deut. c. 27. & 28. per tot. qua in re cum sacris Paginis conveniunt Gentium judicia.

(s) L. 215. ff. de V. S.

(t) Prov. 8. v. 15.

quòdque illis concessum non esse ex revelatione apparet, (u) nec etiam convenit conditioni hominum, quos humano modo regi oportet.

Reliquum ergò est, ut *hominibus*: non verò *uni* hominum, vel *pluribus* in reliquos: quia naturá omnes pares sunt, nec fecit natura discrimen, aut iudicium, quo dignosci ille, vel illi à cæteris, & cui, vel quibus Imperium hoc concessum sit, constare possit, cùm omnes æquè infantes, & sinè rationis, nedum Imperii usu nascantur, & natura cuique facultatem in suas tantùm, non alienas actiones dederit. Superest igitur, ut *omnibus*, seu *universa hominum societati* in singulos datum sit Imperium, quod, quia dein aucto genere humano, & per universum terrarum orbem disperso, ab uno corpore expediri non potuit, in plura hominum, civitatum, seu populorum corpora, & societates dividi necesse fuit.

§. XI.

Consensu deinde singulorum in unum, vel plures translatum.

Cæterùm letiam si Radix & stirps sanctissimæ hujus, & summi Numinis vicariæ potestatis, quæ *Majestas* usitato vocabulo appellari solet, toti cujusque liberi populi, seu civitatis, aut Reipublicæ, corpori, inhæreat, Ipsique per modum proprietatis naturam consequentis à DEO ut auctore, & conservatore naturæ humanæ ita communicetur, ut ea sinè injuria tam parùm privari, quàm homo privatus ratione utens libertate naturali spoliari queat, nisi gravis & justa causa fuerit data: libero tamen cujusque Corporis arbitrio relictum est, an Imperium hoc penes se, hoc est totum corpus, retinere, an verò in unum, aut plures transferre velit. Cujus triplicis Imperii formam pulchrè describit Seneca: (x) *Interdum populus est, quem timere debemus: interdum, si ea civitatis disciplina est, ut plurima per Senatum transigantur, gratiosi in ea timentur viri, interdum singuli, quibus potestas populi, & in populum data est.* Et hoc in sensu Imperium humanum rectè adscribitur cujuslibet populi ultroneo consensui, vel expresso, vel tacito, vel æqua ratione præsumpto, vel etiam coacto, coactione Juris, quod in bello justo contingit. Cùm enim à DEO, adeoque naturá, *in casu sit Imperium*, non in *singulis*, nec in certo hominum genere, non potest, vel ad unum, vel ad certos sinè aliorum voluntate, vel delicto devenire. Nam de regibus à DEO per revelationem constitutis non ago.

§. XII.

Et ex hoc fluit necessitas subjectionis, ac legum.

Imperii & hujus correlati, scilicet subjectionis, necessitas post se trahit necessitatem legum, quarum creatura rationalis, & socialis, & capax, & indiga est, & sinè quibus nec Imperium, nec subjectio intelligi, nec ordo tam in universali, quàm particulari humani generis societate conservari potest, quod à fine conditoris utique quàm longissimè abest. Hinc etiam nemini sanæ mentis in mentem venit dubitare, Divinam Majestatem, cui ut auctori naturæ summum jus est in Creaturas rationales, posse, & velle iis ex nihilo conditis, & hoc ipso in bonum, & malum flexibilibus, & cereis, liberâ insuper voluntate præditis, ac ab adolescentia ad malum pronis, normam quandam uniformem, & universalem præscribere, ut secundùm illam in hac mundi Republica vitam naturæ rationali, & sociali convenientem componere, & non tantùm privatam, sed mutuam totius generis humani utilitatem, & felicitatem procurare discant.

§. XIII.

(u) Suarez de leg. l. 1. c. 3. §. 14.

(x) Epist. 16.

§. XIII.

Etiâ humanarum.

UNde etiâ facilè constat, quænam legum humanarum sit necessitas, & utilitas, sicut enim in Naturæ statu conveniebat singulorum libertati sui quemque juris, atque injuriæ esse judicem, ac vindicem: ita, ubi multi in civitatem coiere, uniti spiritu summi Imperii, rationis erat, populum de tuenda corporis sui salute, & libertate sollicitum non sinere cives suos deinceps se movere, non suo cujusque arbitrio, sed ex nutu, & præscripto civitatis ad finem, ejus providentia omnium, aut plurium utilitati propositum. Appositè Livius (y) de Romulo *vocata* inquit: *Ad concilium multitudinis, quæ coalescere in populi animi corpus, nulla re, præterquam legibus poterat, jura dedis.* Et cum Lex naturalis ac Divina generalis sit, & solum complectatur quædam præcepta morum per se nota, & ad summum extendatur ad ea, quæ necessaria, & evidenti conclusione ex illis primis principiis consequuntur, præter illa verò, innumera alia sint adiaphora, quæ diversò modò rectè fieri possunt, multaque alia genere humano in plures societates discripto ad earum rectam gubernationem, conservationem, rectumque ordinem servandum necessaria sunt: necessarium quoque fuit, ut per humanam rationem aliqua magis in particulari determinarentur circa ea, quæ per solam rationem definiri non possunt; quod nullo alio modo, quàm per legem humanam fieri potest. Hæc civitatis, & Reipublicæ anima est, pro qua magis pugnandum, quàm pro mœnibus, utpotè sine quibus Civitas (ut olim Sparta) non autem sine legibus subsistere potest. Unde omnino præclare Plato (x) *neceffe est*, inquit, *leges hominibus ponere, ut secundum leges vivant: nam si absque his vixerint, nihil à feris atrocissimis discrepabunt.* Quibus paria habet Aristoteles (a) dum dicit: *Ut perfectione susceptum optimum omnium animalium est homo, ita, si alienus fiat à lege & judicio, pessimum est omnium animalium.* Oportet ergò, ut legibus quàm plurima concludantur, & affectionibus hominum, arbitrioque quàm minimum permittatur: ferinam enim naturam continet affectio, lex autem, utpote ratio pura, affectionis est expers.

§. XIV.

Quia homo sine Lege vivere non potest.

Audiendi ergò non sunt, qui leges, legumque ordinem exosi, vitam ex legem probant, priscamque gentem, in qua lege non agebatur, admirantur, in qua simplicem rationem, charitatemque pro lege fuisse jactitant.

Verùm illi ideas fabricare, & Rempublicam quærere, vel fingere videntur, qualem nulla ætas vidit, aut videbit. Quis enim nescit, Terram Virginem sanguine fraterno maduisse, & totum mundum ante-diluvianum aquis abolitum, & tamen post tantum naufragium mox protervum filium illuisse parenti, & dominandi cupidinem in campo Sennar exarsisse? quid ergò futurum existimamus, si sublato humanæ Majestatis metu, & reverentia, remotoque legum freno ferarum more quidlibet audendi plena esset potestas?

Indubium igitur est, DEUM per summos Imperantes generi humano jura humana distribuisse, adeoque legum civilium, quas vocant, necessitatem cum civitatibus, & rebuspublicis capisse, earumque condendarum potestatem in singu-

(y) Lib. 1. c. 8.

(x) De leg. l. 9. in fin.

(a) L. 1. Polit. c. 2.

las societates, seu civitates per modum proprietatis, & affectionis naturalis, utpote ad earum conservationem simpliciter, & absolutè necessariam immigrasse: & ab iis demum libera voluntate in unum, id est, *Regem*, vel plures, id est, *Optimates* transcriptam, hosque omnes Justitiâ fruendi causâ constitutos fuisse, nam cum premeretur inops multitudo, graviter & aptè disserit Cicero: (b) *Ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant, virtute praestantem, qui, cum prohiberet injuriâ seniores, aequitate constituenda summos cum infimis pari jure retinebat, eademque constituendarum legum fuit causa, qua Regum. Jus enim semper est quaesitum aequabile: Neque enim aliter esset jus. Id, si ab uno justo, & bono viro consequerentur: eò erans consenti. Cum id minus consingeret, leges sunt inventa, qua cum omnibus semper una, atque eadem voce loquerentur: Et cum DEUS imperantibus dederit potestatem imperandi, simulque subditos obediendi necessitate obstrinxerit: satis patet, nomotheticam seu legislatariam potestatem imperiò contineri, quod divinitus committitur imperantibus (c) hinc etiam in sacris litteris regnare, & justitiam decernere (d) conjungi scimus.*

§. XV.

Est autem omnis Lex vel Divina, vel humana. Divina subdividitur in naturalem, & arbitrariam.

OMnis ergò, & solus legis auctor esse potest imperans, vel qui jus ab eo habet. Hinc etiam omnis Lex, habito ad auctorem respectu dividi potest in *divinam & humanam*. Illa vel *naturalis* est, vel *positiva*. *Leges Divinae naturales* sunt dictata quaedam à DEO tanquam auctore, & conditore naturæ humanæ hominibus ingenerata, & per plenæ rationis adventum patefacta, singulos homines, & communem hominum societatem in statu naturali viventium, ad certas actiones, vel earum omissiones necessariò obligantia. Indè *Divinum* dicitur, quia quorumlibet cordibus inscriptum est, nec revelatione, aut auctoritate aliorum opus habet, utpotè ortum ducens ab auctore naturæ omnis, etiam humanæ, DEO. *Leges Divinae positivæ* sunt illa decreta, quæ hominibus singulari Numinis revelatione præscripta, & promulgata sunt, quas nonnulli iterum subdividere solent in *universales, & particulares*.

Legem Divinam positivam universalem illam esse dicunt, quæ per revelationem, vel omnibus hominibus, vel certè personis totum genus humanum representantibus publicata fuit. Licet autem de eo, quòd DEUS per revelationem totum genus humanum ad certas actiones edendas, alias omittendas obligare potuisset, si voluisset, dubitari nequeat: de existentia tamen, & numero harum legum divinarum universalium inter auctores non convenit. (e)

Ter humano generi à DEO jus datum esse dicit Grotius: (f) *Statim post hominem conditum, iterum in reparatione generis humani post diluvium, postremò in sublimiori reparatione per Christum Dominum, quem acatholici aliàs ut legislatorem in hunc mundum venisse negant.* *

Leges

(b) De off. l. 2. c. 12.

(c) Ad Rom. 13.

(d) Prov. 8. v. 15.

(e) Vid. Selden de J. N. & G. juxta discipl. Hebræorum.

(f) L. 1. c. 1. §. 15. n. 2.

* His abundè satisfecit Suarezius de leg. l. 10. c. 1. per tot.

Leges positivas particulares ex omnibus populis soli populo Hebræo dare dignatus est DEUS, quæ vel *Cæremoniales*, vel *Forenses* sunt (morales sub naturalibus jam comprehenduntur) illæ ordinationes circa cultum Divinum: hæ in specie decisiones causarum Forensium inter Judæos respiciunt. Ast leges hæ forenses ablatò sceptrò, dispersisque per totum terrarum orbem Judæis etiam fuerunt sublata: Cæremoniales verò adventu D. N. J. Christi celsârunt. *Translatò enim Sacerdotiò necesse fuit, ut legis translatio fiat.* (g)

§. XVI.

Ad arbitrariam pertinet lex Divina populo Hebræo data.

HÆ tamen leges Divinæ peculiariter populo Hebræo datæ non ita exspirârunt, ut non insignis adhuc hodiè earundem superfit usus. I. Ostendunt enim ea, quæ legibus istis præcepta sunt, non esse contra Jus naturæ. II. Licere nunc Christianis civitatum Rectoribus ejus sensûs leges ferre, cujus sunt leges per Moysen datæ, nisi si quæ sint leges, quarum tota substantia ad adventum Salvatoris nostri JESU Christi expectati, & Evangelii nondum annunciati pertineant, aut nisi Christus Dominus Legislator ipse contrarium aut in genere, aut in specie constituerit. III. Quidquid ad eas virtutes pertinens, quas Christus à suis Discipulis exigit, lege Moysis præceptum est, id nunc etiam, si non & amplius, à Christianis præstandum.

Illi verò vehementer falluntur, qui putant legem Divinam Forensẽ, normam præscribere Principibus, secundum quam utpotè perfectissimam, & ipsi leges suas tam civiles, quàm criminales condere debeant, ita ut peccent, si præter, aut contra illas aliquid statuunt. Et ex ista hypothese v. g. suspendium furum, jus veniæ concedendæ homicidis, &c. impugnant, sed malè: quia DEUS non quæ Naturæ auctor, sed ut alius Princeps Politicus has leges populi sui electi genio, & moribus, nullo ad futuras gentes, & Respublicas habito respectu peculiariter accomodare intendit.

§. XVII.

Ad Leges humanas referuntur omnes Civiles.

AD positivam humanam pertinent Civiles diversi generis, ordinisque leges, quarum tot sunt species, quot sunt civitates, & populi. Nam quod quisque populus ipse sibi Jus constituit, id ipsum proprium civitatis est, vocaturque *Jus Civile*, quasi Jus proprium ipsius civitatis, (h) quod præter naturam multa, contra naturam nihil, constituere potest.

De antiquis Germanorum (i) legibus (ut in transitu hoc moneam) utilis jucundaque est disquisitio, gente nostra, & Jurisconsulto Germano, dignissima, cui utique turpe est Jus patrium ignorare. Id Jure Romano non adeò obscuratum censeri debet, quin observantiæ, consuetudines, & particularia provinciarum Germaniæ statuta plenam inde lucem accipiant. Et si Justi Lipsii (k) judicio stabimus, consultius fortè fuisset non admisisse in Germania Jura peregrina.

M

§. XVIII

(g) Apostoli ad Hebræos 7.

(h) L. 9. ff. de J. & J.

(i) Qua in re egregiam collocavit operam omnis litteraturæ Vir. Clar. Jo. Gottl. Heineccius in Element. Jur. Germ. & Corp. Jur. Germ.

(k) L. 2. c. 10. in Monit. & exempl. Polit. *Recepta sunt (Leges Romanæ) inquit, & quo fructu? certè illo litium, nemo negaverit: quæ ex eo nimium quantum succreverunt. Europam vide, & mentior, nisi maxima ejus pars circa istas occupatur. Alii judicant, alii instruunt, alii agunt, & qui miserrimi*

§. XVIII.

Et Ecclesiastica.

Legibus humanis etiam Ecclesiasticæ accensendæ sunt, quarum Philosophi gentiles, finis supernaturalis, & specialis hujus potestatis ignari, mentionem facere non potuerunt.

Christiana autem Religio divinitus illustrata, non tantum, quæ corporis, sed præcipue, quæ spiritus sunt, curans, ac finem supernaturalem, & Potestatem in terris huic respondentem agnoscens, non potest non etiam leges inde promanantes agnoscere, & revereri, quæ, quamvis à Potestate specialiter à DEO concessa deriventur, & ad finem supernaturalem, cultumque Divinum ac salutem animarum potissimum ordinentur, rectè tamen in classem positivarum humanarum (1) referuntur, & *Ecclesiastica*, ac *Canonica* appellantur, quia lacris Canonibus, & Pontificum decretis continentur, adeoque proximè per voluntatem humanam constituuntur, licet à civilibus differant potestate, fine, & materia.

Necessitas autem harum legum eadem est, quæ civilium; quia DEUS (ut supponimus) specialem cœtum fidelium, qui esset unum corpus, quod Ecclesiam nunc vocamus, instituit, & per legem à se latam de omnibus in particulari non disposuit, quæ ad spirituale Ecclesiæ suæ regimen pertinere poterant, sed solum quædam substantialia hujus spiritualis Reipublicæ, seu Hierarchiæ Ecclesiasticæ fundamenta jecit, & constituit: Reliqua verò per suos Ministros, & Ecclesiæ Pastores, quibus in his terris vices suas commisit, Christus ordinanda reliquit, tum, ut suaviter, & modò hominibus accommodatò omnia disponerentur: tum quia non convenire videbatur omnia in particulari ita determinari, ut immutabilia essent.

Hæc ergo determinatio, ordinatio, & dispositio fieri debet per leges Ecclesiasticas, seu Canonicas, quæ ideo tam necessariae sunt in hac civitate DEI sancta, quam Politicæ, seu civiles in civitate hominum profana.

§. XIX.

Legis autem capax est omnis, & solus homo.

Normæ dirigentis, & obligantis, seu legis capax est omnis, & solus homo subditus, quia omnis homo intellectu, & libertate pollet. Quatenus intellectu pollet, suum Superiorem agnoscere, amare, & timere potest, & debet. Et quatenus liberò agendi arbitriò præditus est, normâ directivâ

mi sunt, eas habent. Bone Lothari, manes tui per me quiescant: sed rosa, aut lilia sepulchrum tuum non ornent, qui tot triticas, & spinas nobis servisti. Nam qua tam clara causa est, qua non aliqua lege, lege! imò interpretatione (nam & has admittimus) obscuretur? qua tam improba, cui non dent colorem? Ars enim facta est caussidicina, & peritè captare aut capere laudem habet. Atqui opus est, inquiunt, multitudine: ut varii factorum, eventuumque velut vultus, & species discernantur. Nam si pauca leges, quid? an iudici libera pleraque relinquuntur? fenestram sive ostium ad iniquitatem pandemus? non ego censeo: sed neque sic iudicem coerceri. Obsecro, qua illa copia est, qua omnia comprehendat, aut distinguat? ipsum Justinianum Jus vide: hic deficit, & multa ex similitudine, aut obscuris ex eo argumentis judicantur. Imò ubi copia, plus intricati erit: & semper argutia, aut calumnia in sinu, aut recessu hujus illiusque legis latebit, & se defendet. An non videmus quotidie? præter jus illud Romanum, statuta, & decreta opidatim, pagatim, populatim habemus: claudimur undique, & velut obsidemur à legibus: at litium tamen copia, quanto non alio auro, & constroversia assidua super ipso jure, aut querela. Ita ad verbum Lipsius.

(1) Panormitanus in cap. l. de Juram. calum. §. 7.

Activa indiget, ne à recto tramite deflectat. Es quatenus subditus est, Superiori suo obedire, & actiones suas normæ præscriptæ attemperare obligatur. Es cum hæc omnia in solum hominem cadant, etiam solus homo normæ directivæ, & obligatorivæ, id est, legis capax est. *Soli enim ratione uscentes Jure, ac Lege vivunt.* (m) Falsò itaque Jus naturæ [dicitur, quod natura omnia animalia docuit. Nec obstat, quòd bestivæ puniantur: poena verò sine obligatione dictari non possit: nam animal execrandam venerem passum, ad abolendam nefandi criminis memoriam, concrematur, (n) & bos cornupeta occidebatur, ut negligentia domini puniretur. (o)

Neque homo obligatur sibi ipsi, quia non potest simul esse imperans, & subditus. Coactio enim, & obligatio non possunt procedere, nisi à voluntatibus diversis: itaque cogens, & coactum requirunt distinctas personas, neque sufficiunt diversi respectus. Quæ genuina etiam ratio est, cur legislator lege sua, qua tali non obligetur. Monitos tamen velim, qui leges condunt, vel eas pro officio tuentur, vel exponunt, ut legibus pareant, quas probant, & pro lege habeant verba Lactantii (p) cæcis tabulis digna: *Quicumque dat præcepta hominibus, ac vitam, morsque fingis aliorum. Si bona sunt, qua præcipit, & ipsi eodem modo vivendum est, quò docet esse vivendum: ne, si aliter ille vixerit, præceptis suis fidem detrahas, leviorémque doctrinam suam facias, si re ipsa resoluas, quòd verbis nititur astringere.* Cum igitur quis non faciat, quæ præcipit, quæ insolentia est, ut homini libero velit leges, quibus ipse non pareat? homines enim malunt exempla, quàm verba: quia facile est dicere, præstare difficile.

§. XX.

Et si lex ritè accipiatur, soli communitati.

AN autem uni soli lex imponi, vel necessariò communitati ferri debeat à Theologis & Jurisperitis quaeritur? Per communitatem hic non intelligimus qualemcunque imperfectam, qualis domus, vel familia est, cui Paterfamilias ut caput diverso fine, & jure (aliud enim ei competit in uxorem, aliud in liberos, aliud in servos) ad privatam utilitatem procurandam præest: sed de perfecta nobis sermo est, quæ ex pluribus communitatibus imperfectis, ut partibus à natura quasi ad hoc ordinatis, publicæ utilitatis, mutuvæque justitiæ fruendæ causâ componitur, & unum tantùm corpus politicum, seu personam moralem constituit, cui unus intellectus, una voluntas sit, oportet.

Cum autem tunc demum unus intellectus, unaque voluntas adesse censeatur, si omnes unum eundemque finem, eademque media intendant, ad eaque actiones suas referant: quod tamen pro ingenii humani indole aliter, quàm omnium voluntatibus summi alicujus imperantis voluntati submissis, consequi non licet, sequitur: Summo Imperanti jus esse debere dirigendi voluntates omnium, & singulorum, totiusque communitatis, illisque hunc in finem proponendi, præscribendive normam quandam publicam & universalem, ut juxta hanc actiones componant, finique communi, id est, utilitati, & felicitati attemperent, quæ eminentis imperantis voluntas, cæterarum norma, bonique communis definitio, *Lex* vocatur. Summus Imperans majore vi ad coercendum armatus esse debet, quàm privatus Paterfamilias, tum quia major est potestas publica, quàm privata, tum etiam, quia ad communitatem perfectam tuendam,

M 1

dam,

(m) Cic. de Nat. Deor. l. II. c. 62.

(n) Levit. C. XX. V. 15.

(o) Exod. C. XXI. V. 28. & seqq.

(p) Instit. Divin. l. 4. c. 23. n. 1. & 2.

dam, & omnes ejus partes in officio continendas major coactio necessaria est; quàm in privatis domibus, & familiis, quæ singulæ, & omnes simul sumptæ toti communitati perfectæ, vel ei, qui Principem locum in ea obtinet, ex connexionem finium subditæ sunt. *Quò fit, ait S. Augustinus: (q) ut ex lege civitatis præcepta sumere Patrefamilias oporteat: quibus domum suam sic regat, ut sit paci accommodata civitatis.*

Et quia ipsa natura universum hunc mundum unam hominum civitatem esse voluit, in qua omnes homines parent: & solus DEUS imperat, meritò communitas hæc perfecta *naturalis* appellabitur: ut distinguatur ab *artificiali*, quæ consensu hominum coaluit.

§. XXI.

Et à solo summo Imperante præscribi potest.

His præmissis ad quæstionem redeo, quæ, ni ritè sumatur, in logomachiam abire videtur. Memini me in limine hujus cap. jam præmonuisse, legem latissimè sumptam continere omnes normas, ad quas actiones hominis exigì possunt: strictè verò acceptam, illam tantùm denotare normam, quæ ab Imperante communitati, imperandi Jus habente, præscribitur. Neque me moniti hujus pœnitet, singulis enim rebus aptanda sunt vocabula rei propria, & utu recepta: & verè dictum à Cicerone (r) *dialecticorum verba nulla sua propria: suis utuntur: & id quidem commune omnium ferè est artium.*

Quod, ni observetur, in scientiis summam confusionem oriri necesse est. Quamvis ergo quoad obligandi vim præceptum, & lex non differant: & Patrefamilias non minùs filii sui, quàm Rex subditi conscientiam ex justa causa obligare possit: hic tamen legem tulisse: alter præceptum dedisse dici debet, si quis secundùm Regulas artis loqui velit. Quod egregiè declarat Suarez (s) inquiens: *Licet omnis lex sit præceptum; non tamen omne præceptum est lex, sed oportet, ut speciales conditiones habeat, inter quas una est, ut sit præceptum commune in sensu explicato. Neque oportet in re morali anxie inquirere, an præceptum, & lex essentialiter distinguantur physicè quoad species naturales actuum, satis est, quòd distinguantur moraliter, vel (ut ita dicam) in esse artificiali. Est enim lex veluti quoddam artefactum resultans ex tali actu, cum talibus circumstantiis, conditionibus, vel habitudinibus, sine quibus non erit vera lex, etsi quoad actum præcipiendi ejusdem sit natura. Addi etiam potest, legislationem, quoad actum prudentia, à quo procedit, & quoad honestatem, quam habet, ut procedit à legislatore, habere specialem rationem virtutis distinctam à præcepto particulari, & privato, & hoc modo dici posse legem, & sic essentialiter distingui à privato mandato. Hinc rectè Ulpianus (t) *Jura non in singulas personas, sed generaliter confisni.* asseruit.*

Norma enim non unius duntaxat rei est, sed omnium similium. Quamvis ipsos Romanos hac in re non adeò scrupulosos fuisse deprehendam, quod ex lege Clodia de aqua & igne Ciceroni interdicens, de non recipiendo sub tecto: ex lege Gabinia de Imperio belli Pompejo demandando: Lex Gellia & Cornelia de eodem Pompejo, aliisque innumeris, quæ pro reis damnandis, vel absolvendis, adeoque ad singulos pertinentibus ferebantur, luculenter apparet.

§. XXII.

(q) De Civ. DEI l. 19. c. 16.

(r) Quæst. Acad. I.

(s) L. I. c. 6. §. 16.

(t) L. II. de leg.

§. XXII.

Nec refert, quocunque nomine appelletur:

Interim de diversis legum appellationibus in Jure Civili receptis v. g. de plebi scitis, Senatûs consultis, constitutionibus principum, jure prætorio, responsis prudentum nihil attinet hîc verba facere. Quantum enim naturam legis concernit, si semel vigorem legis adeptæ sunt, nihil interest, quomodo appellentur. Desumuntur enim ea nomina partim ab auctorum conditione, partim à ferendi modo, & conditionibus. Sûntque alibi alia: id quod ex historiis Rerumpublicarum repetendum est. Quando autem lex communis Reipublicæ, seu civitatis sponsio nuncupatur, sicut id accipiendum erit, quia veteres hac loquendi formula usi ad legem Civilem, in statu Democratico, ejusque ferendæ modum respexerunt, quod ad statum Monarchicum applicari nequit, in quo Princeps invitis citra pactionem legem ponit, nisi quod in omni civitatis constitutione cives se velle parere legibus, quas tulerit summa potestas, consensisse censendi sunt, ut ante dictum est, sed consensus vocabulum, pactione latius patet.

§. XXIII.

Dummodo in bonum communitatis feratur.

Sicut leges communitati imponuntur: ita propter bonum communitatis præcipue ferri debent. Et quemadmodum divinus legislator legibus suis naturalibus, & positivis ex infinita sua bonitate generis humani felicitatem, & utilitatem procurare intendit, Ita & hanc legem humanis legislatoribus immediato, vel mediato ejus beneficio ad hoc munus vocatis præcipuam esse voluit, quia lecti sunt Ministri ad regendos homines (DEO charissimum animal) & ideo eleganti similitudine passim apud scriptores, Populorum Pastores aptissime dicuntur, qui pro ovibus suis animas suas ponere tenentur.

Grex enim non est propter pastorem, sed pastor propter gregem: Legislator ergo primò bonum commune ex ordine finis respicere, & leges ad Rempublicam pro diversa ejus forma, non autem Rempublicam ad leges accomodare debet. *Eam virtutem & sapientiam majorum fuisse laudat Cicero (u) ut in legibus scribendis nihil sibi aliud, nisi salutem, atque utilitatem Reipublicæ proponerent, neque enim ipsi, quod obesses, scribere volebant, & si scripsissent, cum esset intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Nemo enim leges legum causa salvas esse vult, sed Reipublica.* Aliæ enim conveniunt Regno, aliæ Aristocratiæ, aliæ Democratix. Reipublicæ autem satis accomodatæ esse censentur, si in commune profunt, quamvis quibusdam gravamen inferant: *Nulla enim lex omnibus commoda satis est: id modo quaritur, si majori parti, & in summam prodest,* (x) Quæ universalium natura est, circa quæ leges occupantur. *Non scilicet semper, & ubique utile est, quod aliquando, & alicubi utile est.* (y)

§. XXIV.

Quod ipsum applicari debet ad jus concedendi privilegia.

Hæc tamen non obstant, quia potestate legislativa etiam privilegiorum concessio comprehendatur. Res ipsa enim loquitur, ejusdem esse legem, vel ex toto, vel parte tollere, cujus est eam ferre. Privilegium autem nihil aliud est, quam *exemptio à lege ultra Jus commune aliquid tribuens:*

N

unde

(u) De Invent. L. 1. c. 38.

(x) Cato apud Livium l. 34. c. 3.

(y) L. un. cod. cad. toll.

unde jus singulare dicitur, quod privatis irrogatur, vel in favorem, vel in odium. Ipsa tamen privilegia, quæ bono communi derogare, ideoque invidiosa esse videntur, ad commune tamen bonum aliâ viâ resuunt, quia publici refert, benè meritos privilegiis ornari. Hinc sinè necessitatis, vel evidentis utilitatis causâ concedenda non sunt, præsertim ea, quæ dum uni profunt v.g. immunitas ab oneribus Reipublicæ &c. cæteros gravant. *Beneficium enim alteri in alterius injuriam tribuere, moris sui non esse.* Æquissima vox Imperatorum. (z)

Ita enim inæqualitas sinè compensatione inducitur, & una amicitia, & Justitia firmissima societatis civilis fulcra subruuntur. Idcirco lege XII. tabularum, cautum fuit, *privilegia ne irrogantur.* Quod Cicero (a) laudat inquit: *Majores nostri in privatos homines leges ferri noluerunt: id est enim privilegium: quo quid est injustius? cum legis hac vis sit, scitum, & justum in omnes.* Posterioribus tamen temporibus id mutatum fuisse in aperto est: (b) præcipuè labescente jam Republica.

§. XXV.

Versatur lex in universum circa actiones humanas,

Materia, de qua lex agit, actiones sunt eorum, qui ratione, & libero arbitrio utuntur. Nulla enim est actio humana, quæ non à recto tramite deflectere, adeoque normæ alicujus, consequenter legis, capax esse possit. Generatim igitur circa actus humanos leges versantur. Sunt verò hominum actiones multiplices, laudabiles, pravæ, adiaphoræ, omnes tam multæ, & variæ, quàm magnus est virtutum, chorus, & vitiorum Chaos. Deinde aliæ actiones solo animo perficiuntur, aliæ foras prodeunt. Denique quorundam operum est ordinaria, & facilis, aliorum rara, difficilis, & periculosa executio.

§. XXVI.

Qua malum præcipere nequit.

Legibus naturalibus, & divinis honesta, & laudabilia tantum præcipi, & contrarium vetari apud omnes tam certum & evidens, quàm extra controversiam est, legislatori humano, siquid subdito imperet, naturali ac divino Juri adversum, parendum non esse, adversus hæc Jura enim semper & sinè exceptione bona, & recta, nihil valet civilis auctoritas, utpote ad eorum executionem comparata, neque impossibilem ulla est obligatio: impossibile autem est, ut inferior contra legem & voluntatem Superioris obliget. Quod Apostoli tanquam ad certissimam omnium cordibus insculptam Regulam respererunt, dum DEO magis quàm hominibus obediendum esse statuerunt. Hinc fœda est pariter, & perniciofa Reipublicæ, utut vetusta opinio, *Rempublicam sinè injustitia geri non posse.* Quanto melius Vir justus, & sanctus Augustinus (c) postquam definivit cœtum multitudinis, juris consensu, & utilitatis communione sociatum, quid dicat juris consensum, explicat; per hoc, ostendens geri sinè justitia non posse Rempublicam: *Ubi ergo justitia vera non est, nec jus potest esse. Quod enim jure fit, profecto justè fit. Quod autem fit injustè, nec jure*

(z) L. 4. cod. de emancip. lib.

(a) De leg. l. 3. c. 19.

(b) §. 6. Inst. de J. N. & G. l. 1. §. ult. ff. de constit. Princip. l. 196. ff. de Reg. Jur.

(c) De Civit. DEI l. 19. c. 21.

jure fieri potest. Non enim iura dicenda sunt, vel putanda iniqua hominum constituta: cum illud etiam ipsi jus esse dicant, quod de justitia fonte manaverit; falsumque esse, quod à quibusdam non rectè sentiētibz dici solet, id esse jus, quod ei, qui plus potest, utile est.

Si non jus, nec ergo lex, quæ, quod legitimum est, constituit, & in qua jus est. In dubio tamen pro legislatore tanquam possessore præsumendum erit, ne examine rationum, quibus lex niti potest, subditis relicto, omnis imperandi, & parendi ordo dissolvatur.

§. XXVII.

Illud tamen minùs plenè permittere:

Quæ dixi, de præceptis, aut vetitis intelligenda sunt. De permissis aliter dicendum: de permissione facti, quæ est actionis negatio, quando scilicet lex nec præcipit, nec vetat, hic non agimus, sed de permissione, quæ lege voluntaria vel plenè, vel minùs plenè fit. Lex voluntaria plenè permittens jus dat *internum*, cujus comes est *licentia*, & *justitia interna*. Lex autem voluntaria *minùs plenè permittens jus* tantùm dat *externum*, seu *impunitatem in foro humano*, & hoc in sensu etiam mala à lege permitti dicuntur, quod tamen non idem sonat, ac facere malum, ut inde eveniat bonum. Aliud enim est cooperari ad permissionem mali: aliud cooperari ad ipsum malum. Certè præstat majus impedire malum, & permittere minùs, quando alterutrum evitari nequit. (d)

Potestas enim humana omnibus extirpandis vitiis impar est, neque etiam omnia prohiberi convenit. Sunt enim quædam, quæ invalere, & velut ulcera tangi non possunt, mala. Permissio autem, quæ lege naturali fit, una & simplex est, tantùm & plena, seu *interna*, qualis est v.g. defensio sui etiam cum cæde injusti aggressoris conjuncta. Utrùm autem lex voluntaria plenam, vel minùs plenam agendi facultatem dare voluerit, ex verbis, vel materia legis erit eruendum. Sic leges, quæ marito, & Patri uxorem, vel filiam adulteram in certis circumstantiis (e) occidere permittunt, tantùm ignoscere, & justo dolori indulgere, non autem verum jus dare voluerunt, imò nec potuerunt. Imperatores autem Valent. Theod. Arcad. & Honor. malorum à Republica avertendorum, quietisque communis conservandæ studiosi voluerunt, & potuerunt plenum jus, licentiàmque tribuere unicuique subjugandi milites, populatores agrorum, (f) opprimendique latrones publicos, & desertores (g) ne ex dilatione pœnæ majora mala Reipublicæ succrescant.

N 3

§. XXVIII.

(d) Suarez de leg. L. 1. c. 15. per tot.

(e) L. 20. 22. 24. 32. 38. §. 8. ff. l. 4. Cod. ad l. Jul. de adult. & Nov. 117. c. 15. vid. Molina de J. & J. Tract. 3. Disp. 7. §. 2. hinc Paul. Laymannus Theolog. Moral. l. 3. Tr. 3. p. 3. c. 2. n. 4. benè dixit, tunc leges humanas injustas fore, si necem personarum in adulterio deprehensarum permitterent *approbative*, non verò esse iniquas, si illam tantùm permittant *negative*, penam homicidii ordinariam non decernendo.

(f) L. 1. Cod. quando liceat unicuique sine judice &c. ita loquuntur: *Liberam resistendi cunctis tribuimus facultatem; ut quicumque militum, vel privatorum ad agros nocturnus popalator intraverat, aut itinera frequentata insidiis aggressionis obsederit, permittitur cuicumque licentia digno illico supplicio subjugetur: ac mortem, quam minabatur, excipiat, & id, quod intendebat, incurrat. Melius enim occurrere in tempore, quàm post exitum vindicare, vestram igitur vobis permittimus ultionem, & quod serum est punire judicio, subjugamus edicto, ut nullus parcat militi, cui obvare telo oporteat, ut latroni.*

(g) Verba legis 2. eod. tit. sunt sequentis tenoris: *Opprimendorum desertorum facultatem provincialibus jure permittimus. Qui, si resistere ausi fuerint, in his velat*

§. XXVIII.

Multo magis autem Juri Naturali aliquid superaddere:

Cæterum non raro evenit, ea ipsa lege positiva præcipi, quæ sunt juris naturalis, vel Divini, eodémque modo. Plerumque autem lex positiva legi naturæ, & Divinæ aliquid addit, quando vel illam interpretatur, vel determinat specialem actionis conditionem, seu modum, vel sancit in transgressores pœnam, quæ jure naturæ incerta, & arbitraria est. Vel ponit modum, & terminum libertati naturali, eamque restringit ad utilitatem publicam obtinendam: unde dependet validitas, & invaliditas actuum jure naturali indifferentium, & non prohibitorum, civili autem lege determinatorum. Ex quo regulam exculpimus: aQuum per se liberorum exercitium certo temporis intervallo circumscribi posse, si reipublicæ intersit, ne libertas exercendi, & non exercendi perpetua sit. Sic possessio rei suæ est quidem actus liberri- mus, & liberè continuari, vel omitti potest: sed si per longum tempus rem meam non possideo, & alter eam occupat, eamque pro domino (bona fide) (b) possidet: ego verò, vel hæredes mei perpetuam eam repetendi licentiam haberent: dominia rerum perpetuò fluctuarent, possessores nunquam forent securi, & lites alerentur immortales, consequenter periclitaretur civium concordia, damnùmque inferretur saluti Reipublicæ. Hinc leges positivæ rebus suis vindicandis, cæterisque Juribus persequendis certum tempus saluberrimè præscripserunt. Sic publicè utile est, ut cives, qui jura singularia, quò & Regalia hodie pertinent, à summa potestate civili impetrarunt, & iis intra tempus legibus definitum non utuntur, non-usu amittant, (i) & tacitè renunciassè præsumantur.

Quibus consequens est, ut illi actus, quorum non-usus etiam per longissimum tempus Reipublicæ nihil nocet, statum libertatis naturalis retineant, neque à legibus civilibus restricti intelligantur.

§. XXIX.

Imò etiam aliarum virtutum actus plenè:

AN autem leges humanæ (de naturalibus, & Divinis iterum nullum est dubium) non tantum circa justitiam, quam præcipuè spectant, versari debeant, sed etiam aliarum virtutum materiam complecti possint? dubitatur. Quòd leges civiles præcipuè justitiam intendant, ex eo patet, quia hæc bonum publicum, & harmoniam in civitate, quæ secundum S. Augustinum (k) nihil aliud est, quam concors hominum multitudo, concordiam, & felicitatem respicere debent, ad quam idem sanctus, & justus Politicus imprimis Justitiam necessariam esse, aptissima similitudine expressit, (l) inquit: *Cum autem Scipio in secundi libri fine dixisset, ut in fidibus ac sibiis, atque cantu ipso, ac vocibus concertus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatam aut discrepantem aures erudita ferre non possunt, isque concertus ex dissimillarum vocum moderatione concors tamen efficitur, & congruens, sic ex summis & infimis, & mediis interjectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione civitatem consensu dissimillimorum*

velox ubique jubemus esse supplicium. Cuncti enim adversus latrones publicos, desertoresque militia, jus sibi sciunt pro quiete communi exercenda publica ultionis indultum.

(b) Vide tamen Henr. de Cocceis Erud. dissert. de finibus bonæ fidei præscript.

(i) L. 1. cod. de nund.

(k) De civit. DEI l. 1. c. 15.

(l) L. 2. c. 20. de Civ. DEI.

morum concinere, & qua harmonia in musicis dicitur in cantu, eam esse in civitate concordiam, arctissimam, atque optimum omni in Republica vinculum incolumitatis, eamque sine iustitia nullo pacto esse posse.

Quod ipsum probat ad conservandam hanc harmoniam politicam etiam aliarum virtutum actus legis humanæ capaces esse: Cùm finis legum sit, cives suos felices facere, quod alia ratione aliquando fieri non potest, quàm aliarum virtutum observatione, quod satis evincunt tot leges bellicæ, sumptuariæ, aliæque ad publicam spectantes utilitatem.

Itaque nullius virtutis actus est, qui non aliquando lege lata imperari possit. Meritò tamen excipimus nimis ardua virtutum opera, quæ in genere, & per se communitati, spectata imbecillitate plurimum, & quod praxis nunquam tam latè se extendat, quàm speculatio, præcipi nequeunt, legis tamen per accidens objectum esse possunt: ut cùm ea præcipiuntur, quæ ejusemodi opera exposcunt, aut sinè illis perfici non possunt. Eo ferè modo, quo actus internos cum externis connexos, & ad horum perfectionem requisitos humanarum legum imperio subiectos esse, finis rectæ gubernationis politicæ exigit, quod nemo hætenùs in dubium vocavit.

Imò actus merè internos materiam legum Ecclesiasticarum constituere posse, verius, & rationi ac fini Potestatis spiritualis conformius esse judico: eo ipso enim, quia Potestas hæc spiritualis est, hominem potissimum internum, ad finem supernaturalem consequendum perficere satagit. Cur autem habenti finem, denegemus media huic consona? rationem non video.

§. XXX.

Et quidem sub certo etiam mortis periculo præcipere possunt.

GRavior illa est quæstio, an lege humana quidam virtutis actus, sub certo etiam mortis periculo, ut militi de statione non deferenda, similisque præcipi possint? nam leges etiam DEI quædam, quanquam generaliter prolatae, exceptionem tamen summæ necessitatis imbibitam habent: non quòd DEO jus non sit homines ad certam mortem subeundam obligare: sed, quòd leges quædam ejus sint argumenti, ut non credibile sit datas ex tam rigida voluntate, quòd utique in legibus humanis magis procedet, cùm leges ab hominibus fieri soleant, & debeant cum sensu humanæ imbecillitatis. Si tamen de hac voluntate certò constet, nullum est dubium, quin tanta Potestas humano etiam legislatori ex necessitate finis talem fortitudinis actum similisve imperandi competere debeat, quia aliàs bono communi, id est, defensionis, & conservationi Reipublicæ parùm esset prospectum, (m) sed nec temerè ea voluntas legem condentis fuisse præsumi potest, nec homines in se & alios tantum jus accepisse videntur, nisi quatenùs summa necessitas id exigit, qua in re non leviter peccatur, præsertim à Belliducibus, cùm levis commodi gratiâ magnis periculis militem objiciunt. In benè constituta Republica rigorem temperet charitas erga singulos cives, quemadmodum omnia tentamus, ne membrum corporis Physici ampuretur, ita quoque membrum corporis morales sollicitè, quantum fieri potest, conservare oportet.

§. XXXI.

Omnis lex continere debet præceptionem, & sanctionem.

QUæ in lege requiri, & reprehendi debeant, & soleant, ex his, quæ hætenùs dicta sunt, satis apparet. Illud adjiciendum est, legis perfectæ duas esse partes necessarias: *præceptionem*, seu constitutionem, & *sanctionem*.

(m) Suarez, de leg. l. 3. c. 29. §. 4.

tionem, seu pœnæ comminationem. Constitutio legislatoris voluntatem exprimit, & actus subditorum jubendo, vetando, permittendo, formam iis præscribendo, illósque irritando dirigit. (n) In quo vis legis *directiva* consistit, cui accedit *coactiva*, quæ sanctione seu pœnæ comminatione, invito, nolentésque subditos ad legis observantiam compellendó, ejúsque violatoribus pœnas decernendó inducitur, vis hæc in ipso ferendarum legum jure continetur, & ideo etiam omni inest legi, qua lex est, eamque sequitur, ut effectus suam causam, quia omnis transgressor legis, vi naturalis Juris dignus est pœna, (o) & alias frustra conderentur leges, nisi metu pœnæ custodirentur.

Neque enim cum iis sentio, qui non tam pœnis, quàm præmiis homines ad legum observationem excitandos credunt. Quid enim, si præmiis renuncient? pœnam saltem timent. Unde apud Romanos leges imperfectæ audiunt, quibus Sanctio pœnalis deest. *

§. XXXII.

Sanctionis tamen pœnalis loco sapius est irritatio actus.

Habet tamen sapius rationem pœnæ actus irritatio, quæ cum ipsa prohibitione confundi non debet, nam prohibitio vim suam exserere potest per pœnam vel expressam, vel arbitrariam, quin actus rescindatur. Inde invaluit illud vulgatum: *Multa prohiberi in iure fieri, qua tamen facta tenent.* Quod adeo verum est, ut nec omnia statim, quæ juri naturæ repugnant, irrita dici queant, dum sæpè incommoda, quæ rescissionem actus sequuntur, majora sint, quàm turpitudine aut incommodum actus ipsius. Imperatoribus tamen Theodosio, & Valentiniano (p) contrarium placuisse videtur.

§. XXXIII.

Ut autem hos effectus sortiatur lex, debet esse promulgata,

Ad essentiam legis requiritur promulgatio: ut enim in subdito excitetur obligatio faciendi id, quod summus imperans vult, & imperantem, & ejus voluntatem tanquam agendorum normam, & regulam noscere, & intelligere debet. *Leges sacratissima*, inquit Imperatores: (q) *qua constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, ut universi præscriptó earum manifestius cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sciantur.* Lex igitur naturaliter non obligat, nisi ab eo tempore, quo promulgata est, id est, quando quocunque modo id præstitum est, per quod jam condita in notitiam omnium, qui culpabili negligentia non laboraverint, veniat, & quidem tunc statim obligat, si negativa est: si affirmativa tum, cum executionis præceptum urget. Hinc malus fuit legislator Caligula, qui populo Rom. proposuit quidem legem, sed & minutissimis literis, & angustissimo loco, ut nec eam describere liceret.

Cum ergo certum sit leges promulgatione constitui, & sic futuris formam dare negotiis, ad facta præterita revocari non solent, nisi insignis utilitatis; vel necessitatis, vel æquitatis ratio aliud suadeat. (r) Hinc pœna etiam ad actus præteritos jure naturali prohibitos extendi potest.

§. XXXIV.

(n) Idem l. 1. c. 17. per tot.

(o) Idem l. 1. c. 15. §. 13. & c. 16. §. 7.

* *Inter leges quoque illa imperfecta dicitur, in qua deviantibus nulla pœna sancitur, dicit Macrobius in somn. scip. L. 2. C. 17. quo pertinet L. 14. §. 14. ff. de relig. & sumpt. fun. eum scilicet hæredem, qui prohibet funerari ab eo, quem testator elegit, non rectè facere, pœnam tamen in eum statutam non esse.* Vid. etiam L. 3. §. 4. de sepulch. viol.

(p) L. 9. cod. de legibus.

(q) In L. 9. cod. de leg.

(r) Vid. L. ult. cod. de pact. pig. L. pen. & ult. cod. de incest. nupt. L. 16. de sacros. Eccles. novell. 19. in præf. in fine lib. 2. feud. tit. 55.

§. XXXIV.

Sive deinde promulgatio scripto, sive alio modo fiat, ut consuetudo.

Perinde tamen est; sive scripto, sive alia ratione lex promulgetur. *Caesarianarum* olim nomine leges venisse, auctor est Aristoteles, ne memoria exciderent, parum enim refert, quo modo legislator suam voluntatem, communis utilitatis interpretem, à qua lex & in origine, & in duratione pendet, vel *expressè*, & *palam* (v. g. lege more populi Romani, tabulis, celebri Romæ loco publicè propositis, inscripta) vel *tacitè*, *sinè scripto*, id est factis, vel non factis declaret, cum expressi, & taciti eadem sit vis, & efficacia, ut autem in legislatore tacitus consensus jure præsumi queat, requirimus ex parte populi subditi morum, actuumque per se honestorum (s) frequentiam (t) & temporis (u) tractum quod utrumque, quando adesse censeatur, ex circumstantiis mensuram suam accipere debet. Nam & sic voluntas summi Imperantis, silentis, & liberè volentis merito recipitur pro lege, quæ *consuetudinis* nomen apud Jurisconsultos jam dudum obtinuit. Longè ergo fallitur, qui scripturam de legis essentia esse arbitratur. Quidquid enim rei in esse jam constitutæ supervenit, id de rei ipsius essentia nequaquam est.

§. XXXV.

Acceptatio autem populi ad legis constitutionem necessaria non est.

Quam parum autem ad legis essentiam scriptura necessaria est, tam parum ejus obligationem ex populi acceptatione arcessendam esse putamus; cum lex vim obligandi non primum ex singulorum usu, & receptione, sed ex promulgatione expressa, vel tacita ejus, qui potestate ferendi leges in civitate gaudet, accipiat, ut adeo subditis, quibus promulgatio ritè facta est, nihil præter obsequiū debiti gloriam relictum esse queat. Quod ordinem illud imperandi, & parendi à lege naturali, & divina approbatum necessariò consequitur: *Natura* quippe (x) iudicio Dionis Casii, *id necessarium, & salutare hominibus, ut alii quidem imperent, alii verò pareant.* Hinc pro acceptatione legis, atque adeo exclusionem peccati præsumptio stat, ut, qui in lege ritè promulgata se fundat, eam usu receptam esse probare non teneatur. * Qua in re tamen intuitu legum Romanarum in Germania suo modo vigentium, Jurisconsultorum varia esse judicia satis constat. **

O 2

§ XXXVI.

(s) Unde rectè Justinianus pronunciavit Nov. 134. C. 1. *mala adinventæ, consuetudinésque malas neque longo tempore, neque ex longa consuetudine firmari.*

(t) Frequentiam actuum requirit lex, 1. cod. quæ sit longa consuetudo: *Præses*, inquit, *provincia probatis iis, qua in oppido frequenter in eodem controversiarum genere servata sunt, causa cognita statuet.*

(u) Inde diuturni mores, inveterata, longa, & longæva, ac diuturna consuetudo in legibus Romanis occurrunt. §. 9. Instit. de J. N. & G. & C. L. 32. §. 2. L. 33. L. 35. ff. de legibus. L. 1. & 2. Cod. quæ sit longa consuetudo.

(x) Hist. Rom. l. 41.

* Unde Joan. Schilterus in praxi juris Romani in for. Germ. exercit. 1. §. 11. laudem peritiæ, & eruditionis illum advocatum mereri iudicat, si ejusmodi legem, *etsi fortè hæcenus minùs observatam, in forum usumque revocat, quoties contraria observantia non obstat.*

** An Hahnus ad Wesenbec. n. 4. de condiç. indeb. nodum hunc Gordium solvat, vel magis implicet, dum asserit: *Jura Romanorum* (de conditione indebiti)

§. XXXVI.

Nam lex ritè promulgata in conscientia subditos obligat,

His constitutis magna est controversia, an leges Civiles non obligent modo, sed etiam ligent conscientias subditorum? qui cum Calvino hoc negant, asserunt I. conscientiam vel animam nemini propriè subjici, nisi DEO, unde nota est differentia inter forum Poli, & forum fori. Hinc II. homines non posse de conscientia judicare, nec III. spirituales pœnam conscientiae inferre, multò minùs ab ea absolvere: à qua opinione referente Suarezio (7) non abhorreere videntur, Gerson, Alamainus, Decius, Imola, & alii, putantes: quoties peccari videtur contra legem humanam, non incurri culpam ex transgressione legis humanæ sed Divinæ, & legem humanam tantùm explicare obligationem in lege Divina jam contentam, non autem per se novam producere: ad instar præcepti à Medico dati, quod in ægroto non vi Imperii Medici, sed legis Divinæ, quæ homini conservationem sui commendat, obligationem excitat.

At ut communissima, ita etiam verissima est sententia contraria: nam I. Natura legis est obligare & actiones subditorum dirigere: si itaque lex seriò proponitur, etiam conscientiam stringet, aliàs vis legis elumbis redderetur: cum pœnam externam multi fugere possint, aliqui contempnant, plerique impunitatis spe delinquant. Deinde II. lex naturalis est, quæ jubet obedire imperantibus & quidem juxta Apostolum *propter conscientiam*. Et si dominorum in servos, mariti in uxorem, parentum in liberos est Imperium, quod naturaliter sinè gravi peccato contemni nequit, cur non Regum, & Principum Imperium in cives eodem jure censeatur. Præsertim, & præcipuè III. quia ordo ille imperandi, & parendi in societate civili à DEO ut auctore Naturæ approbatus sinè potestate nomothetica seu legislativa (leges enim naturales tantùm, non sufficiunt) nec conservari, neque hæc sinè potestate, & Jure conscientias subditorum ligandi efficaciter exerceri potest, sequitur secundùm regulam Juris concessa

biti) & similia, germanis ubique recepta fuisse probari non posse, ideoque pro nullis esse, ubi de eorum acceptatione, & observantia manifestò non constat, alii judicent? modo cit. præstantissimus Jurisconsultus Schilterus exercit. 1. §. 12. auctoritatem juris Justiniani hodie post ejus revocationem dubitationem hac in parte movere posse agnoscit, cum enim, inquit, à temporibus Lotharii II. Imp. & Irnerii isti jus istud primum in cathedras, postea in fora etiam Italia, tandem etiam in Germaniam pluresque alias provincias Europæ sensim receptum fuerit, ut egregiè docuit Herm. Conring. de orig. Jur. Ger. nulla verò promulgatione in has oras à summa potestate introductum, consequens esse videtur, ut nec Justiniani promulgatio, ad nos attinens, nos obliget, nec jus illud sub autoritate necessaria, sed probabili tantùm, & velut perfectius artis juris, & omnes aliarum gentium leges interpretandi exemplar receptum valeat, neque nisi ab observantia, usque approbantium auctoritatem, vimque obtineat. Quare nec posse legem hætenus non observatam, allegari in judicio pro actionis fundamento, nec in sententiam ferendo attendi. Verùm enimverò, quidquid sit de hujus juris auctoritate atque receptione, istud quidem inde non sequitur. Etenim ex illa ipsa intentione, admittentis Imperatoris, & statuum Germania apparet, voluisse hos, ut ea omnia in jure Justin. hodièque observentur, qua pro diversitate forma Reipublica observari commodè possint, salvis Germaniæ moribus & statutis contrariis, statusque publici ratione. Unde infert Schilterus, quod *lex civilis cujus observantia in actu secundo doceri nequit, neque item contraria, & qua statui Publico non repugnat, actu primo recepta censeatur, inque judiciis observari possit, atque debeat.* Hæc Schilterus.

(7) De leg. l. 3. c. 21.

cessa jurisdictione omnia ea, quæ necessariò cohærent, & concessa intelligi, & sic denique IV. cum summus Magistratus legem ferat ut Minister DEI, potestatemque divinitus acceptam exercent, in ejus contemptu divina Majestas ipsa contemnitur: qui enim Teste Doctore gentium (x) *potestati resistis, DEI ordinationi resistis.* Et ex his facilis est responsio ad contraria.

§. XXXVII.

Qua obligatio modò gravis, modò levis est,

Asterta Rectoribus populorum Potestate, & voluntate per leges stringendi subditorum conscientias: videndum, quàm diversimodè hæc obligatio se exerat. Obligat autem aliquando lex humana sub peccato gravi, nam cum Juris Divini, & naturalis sit obedire justis legibus, ea potest esse materia, & circumstantia, ut transgressio noxia & gravis judicetur. Quando verò sit gravis transgressio, non potest colligi ex solis verbis legis, aut intentione legislatoris, nec directè ex gravitate pœnæ, sed ex gravitate materiæ prudenti arbitrio tali. Cum enim legislatoris justa, & rationabilis intentio esse debeat, etiam non debet, nisi in re gravi, in qua magnum sit Reipublicæ momentum, gravem obligationem conscientis injicere. Si verò causa per se est gravis, non potest legislator sub levi obligare, quia ex rei natura gravis est transgressio.

Multùm insuper interest, an in violatione legis accedat contemptus legislatoris, qui gravitatem peccati auget. Et quidem contemptus DEI semper gravis est. Contemptus legislatoris civilis, ob imbecillitatem humanam aliquando levis, aliquando gravis: si contemnitur, quatenus est superior, seu ratione ipsius potestatis, quia simul contemptus Divinæ Majestatis & ordinationis involvitur, semper mortalis est culpa. (a)

§. XXXVIII.

Nisi sit fundata in præsumptione facti particularis,

LEx, quæ in præsumptione facti, sed falsâ, fundata est, non obligat conscientiam; legislator enim tunc non obligare intendit, & tunc valet illud tritum: quod cessante ratione legis, cesset ipsa lex, & præsumptio cedat veritati. Aliud dicendum est de lege ex præsumptione periculi universalis lata; quia, etsi ratio legis in isto speciali facto specialiter locum non habeat manet tamen ratio in sua generalitate considerata, cui specialia subjici Reipublicæ interest. Hinc satius esse in simili visum est Senecæ (b) à paucis justam etiam excusationem non accipi, quàm ab omnibus aliquam tentari. Nec etiam ratio est, cur ex duabus causis, quarum utraque producendo effectui par est, cessante una, effectus non sequatur. Sunt autem periculum mali, & malum ipsum duæ causæ distinctæ; nec semper cadit, qui in præcipiti pendet, & tamen à præcipitio semper cavendum. *

§. XXXIX.

Vel tantùm sit pœnalis,

AN autem leges quædam Civiles immediatè duntaxat ad pœnam non autem culpam obligare possint, nonnulla est D. D. dissensio. Quidam omnem legem præcipientem, aut verantem obligare conscientias contendunt, quia in omni lege est potestas cum voluntate obligandi, & in

P

viola-

(x) Ad Rom. 13.

(a) Ad totum hunc §. conferri debet Suarez l. 3. c. 24. 25. 26. 27. & 28.

(b) L. 7. c. 16. de benef.

* Vid, sæpè cit. Suarez l. 6. c. 24. n. 3.

violatione inobedientia, quæ peccatum est. Itaque ne quidem in potestate legislatoris esse putant non obligare, si legem ferre velit. Alii verò fieri posse, cum quibus & ego sentio, judicant, ut legislator verè præcipiat, non modò ordinet, aut dirigat, quin tamen peccet legis transgressor, quia potest eum nolle obligare ad culpam, sed tantùm ad pœnam, ut tamen vera lex sit. Potest enim lex absolutè poni hâc intentione, ut ad solam pœnam obliget, qui præcipiendi modus, utpote finem habens rectum, non est contra rationem legis, nec contra rationem justitiæ. Nam pœna sinè culpa, non tamen sinè causâ incurri potest. Itaque lex sive purè pœnalis sive mixta, aliquando ad culpam non obligabit. De Jure pœnali, quæ tantùm dicit: *Qui hoc feceris, hanc pœnam solvas*, constat non obligare: de mixtâ, quæ verè jubet, aut vetat aliquid, & transgressori pœnam assignat, etiam clarum esse videtur, cum justificatione non aliter, quàm ad pœnam obligare velit: ideo nec est voluntas aliter obligandi, actus autem agentium non operantur ultra eorum intentionem, nec est inobedientia, donec post factum pœna recusetur, nisi ex verbis, circumstantiis aut materia vel pœna legis intentio sufficiens præcipientis elici possit.

§. XL.

Lex ipsa pœnalis tamen aliquo modo in conscientia obligat.

Quoniam autem omnis lex pœnalis in aliquam, ut sic dicam, conscientiam obligationem denique resolvitur: eam nunc paucis per breves Regulas declarare jubet. I. Lex pœnalis obligat judicem, ut secundùm eam pœnam decernat. Non enim de legibus, sed secundùm leges judicare debet. II. Potest etiam lex ferri, quæ ad pœnam ante sententiam obliget, ut excommunicatio aliæque censuræ, cum sunt latæ sententiæ. Quod tamen III. non fit, cum lex pœnam tantùm comminatur & verbo futuri temporis utitur. Quando verò clausula expressa pœnam ipsò factò, seu ex eo tempore incurri indicat, quod in privationibus frequens est, pœna ante damnationem judicis jam obligat. IV. Post latam autem sententiam reo incumbit obligatio, ut patienter, sinè obluçtatione pœnam subeat, imò V. si ad pœnam actio aliqua rei est necessaria, ad eam etiam obligatur. Hinc si antè damnatus est ad mortem, tenetur è carcere exire ad locum supplicii, neque ministris Justitiæ resistere potest. Cum verò carcer exilium, multa decernitur, etiam exequi tenetur. VI. Lex, quæ actus reddit irritos, potest obligare conscientiam, ne aliter, quàm juxta formam præscriptam fiant. Non tamen semper prohibet actum fieri, potest enim quis actum facere irritum (quamvis hoc agere sapientis non sit) in multis tamen neque licet. VII. Pœna autem non semper infert malum separatum, sed actum tantùm reddit irritum, & invalidum: scilicet quoties agentis intentio ex ipsa actione obtinetur, toties opus est pœna speciali, ut ut enim homicidium, vel adulterium pro nullo declaretur, delinquens tamen sua intentione fruitur. At ubi intentio agentis non dependet à solo agente, sed ab approbatione legislatoris, ibi sufficit, si hic actui contra leges gesto confirmationem deneget, v.g. in testamento solenni, venditione immobilium &c. Denique VIII. Princeps supremus, cui leges tollendi & temperandi jus est, eodem jure pœnam mitigare vel tollere potest: imò omnis pœna Principi supremo arbitraria est, ut Baldus (c) rectissimè docet: modò ab æquitate, & justâ severitate non nimum recedat. De quo alibi ex instituto plura.

§. XLI.

(c) Ad L. fin. ff. de Senat.

§. XLI.

Obligatio legis universaliter variis modis cessat,

Obligat lex tamdiu, quamdiu Majestas eam vult obligare, & objectum tale est, ut cum effectu circa illud versari possit. A parte objecti, seu materiae, circa quam, cessat lex, I. si actio, circa quam versatur, successu temporis desinat in potestate nostra esse, ut nec præcipi, nec prohiberi intersit, aut si objectum ita mutetur, ut observari lex nequeat, quin violetur alia magis obligans: hoc enim casu obligationem ejus cessare, supra dictum à nobis est. Cessat II. à parte legem condentis, si ipse illi aliàs obligaturæ auctoritatem suam subtrahat, legemque aut in totum aboleat, aut in certis casibus seu personis valere nolit. Quamvis autem ea sit natura legis, ut à voluntate legislatoris, & in origine, & in duratione pendeat: temerè tamen mutanda non est, *leges enim inquit Fam. Strada. (d) ansequam ferantur, expendenda, ubi lata fuerunt, toleranda, cum non re alia magis labefactetur status civitatis, quam crebra legum mutatione.* Præcipuè verò leges, quas vocant fundamentales, quibus ipsa Reipublicæ fundamenta, & nervi tanquam arctâ catenâ, & spiritu vitali colligantur (e) immutabiles, quantum quidem fieri licet, esse oportet, id quod solidis rationibus probat Bodinus; (f) cum legibus his, ut plantis ad figendas radices longo temporis spatio opus sit, quas si crebro transferas, vis atque robur omne evanescit, ut scitè loquitur Grotius. (g)

Tunc autem omnino probanda erit legum mutatio, si evidens Reipublicæ utilitas hanc suadeat, & magis speretur commodum novæ, quam metuatur incommodum legis antiquæ. Cum, ut ait Imperator: (h) ideò principalem fortunam rebus humanis DEUS præposuerit, ut possit omnia, quæ noviter contingunt, & emendare, & componere, & modis & regulis competentibus tradere. Pulchrè Cæcilius apud Gellium (i) *legum opportunitates, & medelas pro temporum moribus, & pro Reipublicarum generibus, ac pro utilitatibus presentium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum est, fervoribus mutantur, & flectuntur, neque uno statu consistunt, quin ut facies cali, & maris: ita rerum, ac fortuna tempestatibus variantur.*

§. XLII.

Particulariter dispensatione & privilegio,

Singulares actionum personarumque à legis obligatione exemptiones dicuntur, illa quidem *dispensatio*: hoc *privilegium* de quo jam egimus. Dispensatio autem nihil aliud est, quam exemptio subditi à legis obligatione ad ipsum aliàs pertinente: salva interim in reliquis manente legis auctoritate: facta à legislatore, vel ab eo, cui vel expressa, vel tacita, vel præsumpta hujus voluntas suffragatur. Sicut enim legislator (inprimis humanus) circa positiva objecta totam legem tollere potest, ita & vinculum ejus circa personam, aut factum singulare, manente de cætero lege. Dispensare enim juxta Grotium (k) est lege solvere. Aliàs dispensationes audiunt vulnera legum, & repetitæ, legum

P 2

(d) De Bell. Belg. l. 5. p. 23.

(e) Bod. l. 1. c. 8. de Rep.

(f) De Rep. l. 4. cap. 3.

(g) De antiq. Reip. Batav. circa fin.

(h) L. 3. §. sed quia Cod. de Vet. Jur. enud.

(i) Attic. l. 20. c. 1.

(k) L. 2. c. 20. §. 24. & 27.

legum auctoritatem convellunt, ac invidiæ ac indignationi inter cives ansam præbent. *Leges non sicut similes araneorum telus, quod olim Zaleucus monebat, quibus minora insecta irretita frustra luctantur, & palpitant, easdem majora felici audacia, & impetu perfringunt.* Nam leges sunt inventæ, quæ cum omnibus semper una eademque voce loquerentur.

§. XLIII.

Aliud autem est legem tollere, vel dispensare: aliud adhibita aequitate illam declarare:

IMago mutationis, vel dispensationis sæpè potest fallere, ubi nec mutatio, nec dispensatio est, sed æquitas, quæ est correctio legis in ea parte, quæ deficit ob universalitatem. Tantùm verò abest, ut æquitas sit mutatio legis, ut potius indicio sit, hunc, vel illum casum sub lege nequaquam contineri, seu quod idem est ratione hujus, vel illius casus non esse legem. Aliud est enim legem, aut probabili, aut etiam urgente causa tollere: aliud declarare factum, ab initio mente legis non fuisse comprehensum. Jus mutandi legem non competit, nisi legislatori. At æquitas etiam ab inferiore declarari potest, & debet; præsertim, quando in mora periculum foret, & superior commodè sine gravi damno adiri non posset. *Omnes enim leges, ut rectissimè ait Tullius (1) ad commodum Republicæ referre oportet, & eas ex utilitate communi, non ex scriptione, qua in litteris est, interpretari.*

§. XLIV.

Vel interpretari.

Æquitas etiam postulat, ut lex obscura corrigatur, & obscuritas removeatur. Hæc autem dupliciter oriri solet in lege, vel ratione *verborum*, vel ratione *mentis*. Unde legis *interpretatio* necessaria est, quæ nihil aliud est, quàm expositio voluntatis alienæ dubiæ & obscuræ: & est, vel *authentica*, vel *doctrinalis*, vel *usualis*, illa ad legislatorem, qui Jus hocce dedit: Hæc ad prudentes jurisque peritos pertinet: in *usuali* ad similia proceditur. Dijudicandæ voluntatis certissimum ex ipsa æquitate naturali promanans indicium est necessitas, quæ nullius legis imperium agnoscere dicitur. Ex quo tamen minimè sequitur, quod directè lex violari, & peccatum admitti possit: sed ex benevola Legislatoris mente, simulque naturæ humanæ consideratione præsumitur casum necessitatis sub lege generaliter concepta non contineri. Imperans enim subditos suos ad mortem gratis subeundam obligare nequit; nec etiam præsumitur eos ad illam legis observationem adigere voluisse, quæ ipsorum incolumitatem tolleret. Nam ut ex medicina nihil oportet putare proficisci, nisi quod ad corporis utilitatem spectet, quoniam ejus causa est instituta: sic à legibus nihil convenit arbitrari, nisi quod Republicæ conducat, proficisci, quoniam ejus causa sunt comparatæ. De utilissima hæc interpretationis materia infra ex instituto erit agendi occasio.



(1) De Invent. l. 1. c. 38.

CAPUT V.

De Jure seu Lege naturali ejusque primo cognoscendi Principio,

§. I.

Ordo exigit, ut de lege naturali agamus.

Legimus haec de lege in genere, eamque respectu habito ad Legumlatores in Divinam, naturalem, & positivam, atque humanam distinximus. Cujus distinctionis, & Instituti nostri memores, missa lege Divina positiva, & humana, quæ alterius est disciplinæ connatam illam, animisque, ac naturæ omnium hominum ab auctore Naturæ DEO insitam, ideóque *Divinam naturalem*, seu *universalem* legem rectè dictam tractare aggredimur, quæ dirigit justitiam omnium adversus omnes, dum jus constituit perpetuum, & immutabile. Hæc basis, & regula jurium particularium, Lydius hic lapis est, ad quem exigendæ humanæ actiones.

§. II.

Cujus varia sunt acceptiones,

Juris Naturalis ambiguae sunt notiones I. confundi solet (a) cum instinctu & primis naturæ, quibus ad certas actiones brutis, & hominibus communes inclinamur; sed ab eo, quod est naturæ, ad id, quod est Juris naturæ, non valet consequentia, & ubi ratio non est communis, ibi nec Jus: imò rationis est, imperare instinctui. II. Accipitur pro statu, quem spectata natura res obtinet, quin tamen recta ratio eum determinet. Hoc sensu libertas, venandi facultas, ac jura id genus alia, quæ jure naturæ permittuntur, per abusionem Juris naturalis esse dicuntur, inde est Jus naturæ permissivum. III. Ad Jus naturæ referuntur etiam ea, quæ natura honesta esse indicat, etiam non necessariò debita. Sic Ulpianus censuit (b) cogitationem ejus non vituperandam esse, qui lites execratur. Hinc petitum est discrimen inter honestatem, & necessitatem, quod Wissenbachius (c) immeritò Juris Canonici interpretibus exprobrat. *Pessimo*, inquit, *divortio honestatem à necessitate separans Canonice: nam id demum possumus, quod honestè possumus.* (d) Sed utcunque honestas etiam de necessitate morali usurpetur: sæpiùs tamen de eo, quod saltem indecorum minùsque laudabile est, accipitur. Denique IV. Jus naturæ lato suo ambitu complectitur omnia præcepta moralia, ex ratiocinatione profluentia, sive sint Regulæ justitiae, sive etiam honesti & decori, adeoque totam Philosophiam moralem, Ethicam scilicet, & Politicam complectitur. Tenenda tamen sedulò sunt præcepta, quæ Cicero (e) suggerit: cui eadem est utilitatis, quæ honestatis regula, quam omnibus notissimam esse cupit; aut quod utile videtur, turpe ne sit,

(a) Vid. pr. Inst. de J. N. G. & C. & l. 1. & 3. ff. de J. & J.

(b) L. 4. §. 1. ff. de alien. Jud. mut. caus.

(c) Disp. 6. ad Just. Th. 22.

(d) L. 15. ff. de Cond. Inst.

(e) Lib. 3. de off. c. 19. 20. 21.

sit, aut si turpe est, ne videatur esse utile. Honestate igitur dirigenda est utilitas, & quidem sic, ut hæc duo verba inter se discrepare, sed tamen unum sonare videantur, qui enim utilitatem ab honestate sejungunt, fundamenta naturæ pervertunt.

§. III.

Jus natura strictè sumptum describitur,

Juris autem naturæ strictè pro norma, actiones humanas ad justitiam dirigente, adeoque pro lege accepti variaz definitiones in medium afferri solent, quæ omnes (omissis delineationibus figuratis) eò redigi possunt, quòd sit *regula ab auctore natura DEO, natura rationali præscripta, & insita, obligans ad faciendum id, quod natura justum est, & ad omittendum contrarium.* Cum hac definitione coincidit illa Grotii, (f) juxta quem est: *dictatam recte rationis, indicans alicui actui ex ejus convenientia, aut disconvenientia cum ipsa natura rationali inesse moralem turpitudinem, aut necessitatem, consequenter ab auctore Natura DEO talem actum, aut vetari, aut præcipi.*

§. IV.

Cujus auctor necessarius est DEUS ut auctor humana natura,

Basis, & fundamentum legis naturalis est ordinatio Divinæ Sapientiæ, per dictamen rectæ rationis homini manifestata præcipiens ea, quæ naturæ rationali, qua tali conveniunt, & prohibens ea, quæ eidem disconveniunt. DEUS enim, qui naturam humanam secundum suos fines sapientissimè condidit, ei quoque, quia constantissimè Sapiens est, convenienter præcipit, atque ex consequenti nec pro arbitrio præcipit, nec ex mera voluntate prohibet: in DEUM enim Sapientissimum illud vulgatum non cadit; sic volo: sic jubeo, stat pro ratione voluntas: sed hæc potius illius individua semper comes est. Ex quibus suâ spontè spinosa aliàs quaestio supra à nobis discussa intelligitur, deturæ actio antecedenter ad voluntatem divinam bona an secus? nunquam enim intellectus, & voluntas DEI separari debent. Nam quod humanæ naturæ congruit, bonum est, quod ei repugnat, ejus intuitu malum est. Quod autem malum est, DEUS pro sua infinita bonitate, & sapientia præcipere non potest, consequenter bonum præcipit. Bonum ergo in signo rationis præcedit, & præceptum sequitur, ac per consequens homini præcipit, quod illi bonum est, & quod malum est, prohibet. Quamvis ergo præcipere, & prohibere, si in abstracto loquamur, idem sonent, ac velle, ac nolle; habito tamen respectu ad legem naturalem aliter dicendum est; DEUM enim voluisse homines obligare ad omnia ea, quæ cum hominis natura conveniunt, & id quidem non liberè, sed necessariò voluisse connexio finium ostendit. Postquam enim DEUS liberè naturam humanam condere, & conservare decrevit, etiam necessariò velle debuit homines obligare, quæ cum natura eorum necessariò conveniunt. Nam si DEUS ad ea homines non obligaret, homines conservari haud possent. Si ergò vult finem necessariò etiam velle debet media, necessitate liberam ejus voluntatem consequente, qua se ad creationem humanæ naturæ determinavit. (g) Toleranda igitur non est sententia quorundam, qui etiamsi supponatur non esse DEUM, nihilo secius jus aliquòd naturæ fore contendunt, id, quod vidit Jamblichus (h) gentilis inquires:

Ridi-

(f) L. 1. c. 1. §. 10.

(g) Suarez de leg. L. 2. c. 6. §. 13.

(h) Apud Mauricium in dissert. de prin. Jur. Pub. c. 4. Sect. 1. §. 2.

Radiculè homines faciunt, qui aliunde, quod honestum est, quòdque rectè sit, quarunt, quàm ab ipso DEO : & post pauca. Quia DEUS est, & ipse omnium dominus in confesso est, quidquid bonum, & honestum ab ipso Domino esse.

§. V.

Qui, qua talis necessariò quadam præcipere, quadam prohibere debuit,

Objectum ergo legis naturalis sunt actiones hominum ita comparatæ, ut necessariò à DEO debuerint præcipi, aut vetari, quia cæteroquin homo nec conservari, nec homo, id est animal rationale esse posset. Sunt enim quædam apud creaturas racionales in ordine ad DEUM, & inter se justa, & recta tantum, quia DEUS vult: quædam verò justa, & recta, quæ DEUS aliter velle non potest, quæque adeo sua justitia intrinseca omnem voluntatem DEI liberam anteverunt; sunt etiam mala quædam ideo, quia DEUS ea non vult, quædam verò DEUS non vult, quia mala sunt. Quæcunque ergo sive bonitate sua, sive malitia intrinseca voluntatem DEI liberam in signo rationis anteverunt, illa Juri naturæ præcipienti, & prohibenti accensenda sunt. Quippe posita naturali honestate certarum actionum, & aliarum naturali turpitudine posita item obligatione hominis ad veram felicitatem prosequendam necessariò ponitur jus naturale, quod honesta illa à turpibus separat, illaque amplectenda, hæc fugienda dicitur, & media ad finem illum ducentia præcipit, quæque illi contraria sunt, prohibet. (i)

§. VI.

Quò tamen non obstante Jus natura versatur etiam circa ea, qua factum, & actum voluntatis humana consequuntur,

EX dictis tamen minimè sequitur: Jus naturale tantum de iis agere, quæ circa voluntatem humanam existunt: agit enim etiam de multis, quæ voluntatis humanæ actum, & factum consequuntur, vel certum rerum statum supponunt. Sic furtum, introducto dominio, ipso jure naturæ prohibetur. Ideo alia simpliciter, & absolute, alia ex hypothesis, & pro certo rerum statu (omnis enim status est sub modò norma legis) juris naturalis esse dicuntur. Hinc non videmus rationem, cur non divisio juris naturalis in *absolutum*, & *hypotheticum*, doctrinæ gratia tolerari queat, benè gnari, naturam legislatricem semper, & ubique sibi conformem, audiendam esse cum omnibus suis circumstantiis.

§. VII.

Constat Jus natura ex principiis, & conclusionibus,

Sunt autem Juris naturæ præcepta, vel principia, vel conclusiones: veritas enim principii continetur in conclusione, & qui unum præcipit, aut vetat, necessariò præcipit, aut vetat, quod in illo continetur, vel sine quo subsistere non potest. Principia appello, quorum veritas absque operoso discursu omnibus patet, & se spontè insinuat, simul ac termini nobis innotuerunt. Qualia sunt: Cole DEUM, vive honestè, læde neminem, suum cuique tribue. Alterius generis sunt, quæ ex principiis per cogentem, & necessariam consequentiam deducuntur, sive propinquiora illa sint, habeantque promptam & facilem cognitionem, ut non esse occidendum: sive remotiora sint, quæque difficilius, & ferè à doctis tantum inferuntur: an innocens ullo

Q₂

in

(i) Vid. Suarez. de L. L. l. 2. c. 6. §. 11. & 12.

in casu, v. g. nocens coram Judice falso probatus, occidi possit. Hæc per totam vitam invincibiliter ignorari posse sine culpa, non autem illa, accepta est apud Theologos (k) & Jurisconsultos sententia.

§. VIII.

Quod siue sit affirmativum, siue negativum.

Pincipia, & conclusiones vel affirmant, vel negant. Affirmant illa, quæ jubent fieri bonum: negant, quæ prohibent fieri malum. Obligandi major vis est negantium, quàm affirmantium præceptorum, negativa enim præscribunt id, quod est longè facillimum, omissionem rei malæ uno eodemque momento respectu mille actuum diversissimorum possibilem, & inde est, quod *semper*, & *ad semper*, ut loquuntur, obligent. Aliter se res habet in affirmantibus, quia enim est impossibile, simul & eodem tempore actus diversos eòsque speciales unà plures suscipere: igitur illa veluti in actu primo tantùm obligant: in actum secundum exitura, si res, & occasio ferat.

§. IX.

Vera tamen lex est,

Lex naturalis non tantùm est, consilium, monitum, paternum, * & veritas moralis, simplex boni, & mali index, sed est vera lex continens propriam prohibitionem mali, & præceptionem boni, (l) habet enim auctorem summum imperantem DEUM, qui potest, & vult obligare homines, quos non ideo tantùm ratione instruxit, ut veritatem legis naturalis intelligere, sed etiam effectui dare, & actiones suas huic conformes reddere queant, & debeant. Hinc etiam eidem omnes legis virtutes conveniunt, imperat enim, seu præcipit, vetat, permittit, punit. (m)

§. X.

Quæ præcipit, prohibet, permittit,

Hinc leges naturales absolutæ, & hypotheticæ rectè dividuntur in præceptivas, & prohibitivas. Quæ homines ad actiones creaturæ rationali consentaneas edendas, & eidem dissentaneas omittendas, & permissivas, quæ universos ad alios in utu suæ libertatis non turbandos obligant. Ex quo ulterius consequitur, nullam circa leges præceptivas libertatem relictam esse homini, cum permissivis unusquisque, cui quid permittitur, liberè renunciare possit. Quando autem ita aliquid cum natura conveniat, ut id præcipi necesse

(k) Suarez de LL. l. 2. c. 8. §. 6. & 7.

* Lubeat audire Jo. Laurentium Fleischerum in institut. jur. Nat. & gent. L. 1. c. 5. §. 70. 71. 72. ubi ex præmissis philosophicè & christiane malè coherentibus sequentem in modum concludit: *DEUS respectu omnium hominum est Pater, est Doctus: jam verò neque Pater, neque Doctus dat leges propriè dictas; præcepta ergo moralia s. leges naturales non sunt leges propriè dictæ, non ejusdem cum legibus humanis naturæ, non externæ, sed internæ obligationem producentes. Dicis: hanc doctrinam esse periculosam, gignere libertatem effraenem, magisque homines atheos, dissolutos, atque contemptores divina voluntatis efficere, quàm ut eos emendet, & ad veram ducat felicitatem. Verùm, quaeso, quibus hominibus datum est jus naturæ? omnibus quidem, quod haud negamus, sed, qui ita debent esse comparati, ut incipiant sana uti ratione, qui enim brutorum instar vivunt, non desinunt desipere, si ipsis proponas, jus naturæ producere obligationem internam, imò si maximè exclames: leges divinas esse leges propriè dictas, & producere obligationem quoque externam.*

(l) Suarez l. 2. c. 6. §. 5. & seq.

(m) L. 7. ff. de leg.

celle sit, aut permitti sufficiat, facile intelligitur, postquam tum hominis tum ejus, quod quæritur, naturam accuratè cognovimus. Sic dum quæritur, an cum natura hominis pacisci conveniat? cognita tum promissorum, tum hominis natura, eorumque inter se facta combinatione statim apparebit, homines vi libertatis, quæ ipsis de actionibus suis disponendi à natura competit, jus habere, ut aliis jus in actiones suas concedant, quod ipsum est promittere. Unde concludo, promissa quidem cum natura hominis convenire, non ita tamen, ut ea ab hominibus iniuri præcipiantur. Quare ex lege naturali *permissiva*, homines jus paciscendi habere colligo.

Pactis verò jam initis supervenit lex *præceptiva* naturalis, quæ, comparatione finis instituta cum natura hominis dicat fidem datam esse servandam, cum aliàs omne generis humani vinculum dissolveretur.

§. XI.

Et punit,

Sed nec de pœna dubitare licet, quæ expressa quidem in lege naturæ nulla habetur, utpote nunquam scripta, sed DEI digito cordibus hominum insculpta. Cùm autem hoc per rectam rationem constet, DEUM esse, DEUM dedisse legem illam, esse justum, non potest non existimari, DEUM transgressoribus hujus legis irasci, & quia de immortalitate animæ etiam persuasi fuerunt gentiles, dicendum, æterno supplicio legem naturæ sancitam esse. Quamvis enim sæpius in hoc mundo scelera impunita maneat, sufficit tamen tarditatem pœnæ gravitate compensari, omnèsque ea ratione pœnas in una tandem gravissima conjungi: Agnovit Plutarchus (*n*) *anima post mortem exstanti aut præmia aut pœnas reddi, vitam enim quasi certamen quoddam obis, & certamine peracto consequitur, quod meruit.* Quod ipsum remorsus ille conscientiæ, qui sceleratos undique persequitur, abundè probat, cùm is omni causa destitueretur, si nulla timenda foret pœna. Quid enim is timeat, qui animum una cum corpore sibi interire persuaserit. Ut adeo *malam conscientiam in solitudine etiam sollicitam esse* Seneca (*o*) verissimè scripserit, & *sceleris conscios animos angore excruciatos esse, cum nulla hominum indicia essent,* agnoverit Tullius. (*p*)

§. XII.

Datur tamen jus natura perfectum, & imperfectum,

Sed & illud monendum est, leges naturales alias *perfectas*, alias *imperfectas* dici posse. *Leges perfecta* sunt illa decreta, quibus DEUS tanquam auctor naturæ humanæ homines ad certas actiones edendas, vel omittendas necessariò ita obligat, ut nisi spontè obligationi suæ satisfaciant, ad id vi, & quidem in statu societatis civilis per Judicem: in statu autem naturali per bellum cogi possint. Ad certas verò actiones ponendas, vel omittendas jus tale hominibus concedit, ut alios nolentes ad expletionem illius Juris vi adigere queant.

Leges autem imperfecta sunt illa decreta, quibus DEUS ut naturæ humanæ auctor homines ad certas actiones ponendas, vel omittendas ita obligat, ut executionem ejus obligationis eorum pudori, & conscientiæ tantùm relinquat: ad certas verò actiones hominibus jus tale concedit, ut ab aliis quidem expletionem Juris petere, à nolentibus vi exigere nequeant.

Utraque obligatio est à natura, quia adest motio moralis ad agendum, & seria obligandi voluntas, & ideo pro toto interno seu conscientiæ parùm refert, an obligatio ex lege perfecta, an ex imperfecta descendat.

R

Rectè

(*n*) In lib. de fera Numin. vind.

(*o*) Epist. 40. sub fin.

(*p*) De LL. lib. 1.

Rectè Cicero (g) non solum jus à natura dijudicatur, sed omnia honesta ac turpia. Quò tacit famolum Senecæ Tragicæ: (r) *Quod non vetas fieri lex, hoc vetas fieri pudor.* Grotius, etsi sapius ea, quæ juris, & virtutis sunt, misceat, multis in locis (s) tamen solite ea discernit.

Vera autem differentia juris & virtutis in eo posita est, quod illud *sanctum* cuique: virtus, verò id, quod *nostrum* est, aliis tribuat, vel *nostra* perficiat. Reperantur tamen ea, quæ supra (s) de Officiorum perfectorum, & imperfectorum differentia à nobis dicta sunt.

§. XIII.

Quod utrumque soli creatura rationali convenit.

LEge naturali sola creatura rationalis, ut talis dirigitur, eoque ipso ad obedientiam obligatur, quia hæc boni, malique discretrix humanæ naturæ à DEO insita est: & quemadmodum una omnium natura est, ita omnibus & singulis quasi connascitur, tum demum cum effectu promulganda, cum aliquis rationis usus, & cognitio honestorum, & turpium sese exerit. Recta ratio ergo præconis instar promulgat, & applicat tantum legem naturalem, ab auctore naturæ DEO intimis naturæ humanæ insculptam: non magis autem ipsa est lex (utpotè seipsa non superior) quàm binæ lapideæ tabulæ decem præcepta continentes, ab æterno Legislatore in monte Sinai Moyli datæ leges appellari meruerunt.

Aptissima tamen allusione ad has tabulas Sinaiticas, vel Romanas facta lex naturalis cordibus hominum inscripta dicitur: (u) quam nobis non opinio, sed in naturis assert.

Quia ergo Jus naturale, ut solidè discursit Molina (x) à *rerum ipsarum naturis, quæ præcepta, aut prohibita sunt, oritur, eo, quod in se illicita aut necessaria sint, ut fiant, si virtus salva debet consistere. Natura verò quemadmodum indidit nobis semina quadam ad cognoscendum ex rerum ipsarum naturis veritates speculativas, non solum principiorum, sed etiam conclusionum, quæ ex ipsis deducuntur: dedit quoque igniculos ad cognoscendas ex naturis earundem rerum veritates practicas, non solum principiorum, sed etiam conclusionum, quæ ex eis deducuntur.* Unde oritur, ut dici consueverit, jus naturale esse, quod natura ipsa nos docet. Ex quibus satis clarum est, quare etiam infantibus connata quædam justæ, injustique notitia vindicetur: Recta enim ratio, seu ratiocinandi facultas non semper requirit actum. Qui hoc negare videntur, (y) nodum in Scirpo quærunt.

§. XIV.

Nec etiam hominum, vel integrarum gentium perverfi mores obstant.

Inficias tamen eundem non est, hoc congenitum rationis lumen prava sapius educatione, conversatione, & inveterata peccandi consuetudine non modò in singulis hominibus, sed etiam integris nationibus obnubilari, ut quasi efferatæ, ac inhumanæ reddantur.

Ex

(g) L. 1. c. 63. de LL.

(r) In Groad. n. 332.

(s) Proleg §. 41. 50. lib. 1. c. 1. §. 8. n. 3. §. 9. §. 10. n. 3. c. 2. §. 1. n. 2. & 3. §. 9. n. 4. & in f. lib. 2. c. 1. §. 8. c. 12. §. 9. n. 2. & omnium optime lib. 3. c. 4. §. 2. per tot. & ejus not. ibid. &c.

(r) C. 3. §. 6. seq.

(u) Ad Rom. 2. v. 14. 15.

(x) De J. & J. Fr. 1. disp. 4. §. 3.

(y) Vid. Puffendorff. de J. N. & G. L. 2. c. 3. §. 13. & Lockius de intellectu humano L. 1.

Ex quibus tamen non oportet ab æquis judicibus æstimatione facta humanæ naturæ convitium fieri. Sicut enim efferatur homo, ubi extra naturæ modum peccare assuecit, ita rursus alia consuetudine, vitæque, & locorum mutatione redit ad mansuetudinem.

Et pauculi hi homines innatam hanc rectæ rationis vim suo dissensu impedire non magis idonei sunt, quam apud Geographos orbis rotunditatem dispersi per terram, montes, quando cum reliqua mole conferuntur.

Nec etiam mentitur, qui mel dulce esse dicit, quia ægrotis aliter videtur. Ego quæro cum Cicerone apud Laëtantium, (x) si duo sint, quorum alter optimus vir, æquissimus summâ justitiâ, singulari fide, alter insignis scelere, & si in eo sit errore civitas, ut bonum illum virum sceleratum, facinorosum, nefarium putet; contra autem, qui sit improbissimus, existimet esse summa probitate ac fide; proque hac opinione omnium civium bonus ille vir vexetur, rapiatur, manus ei denique auferantur, effodiantur oculi, damnetur, vinciat, uratur, exterminetur, egeat, postremò jure etiam optimo omnibus miserimus esse videatur: contra autem ille improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur; omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes denique copiarum conferantur, vir denique optimus omnium existimatione, & dignissimus omni fortuna judicetur: quis tandem erit tam demens, qui dubitet, utrum se esse malit.

§. XV.

Est enim idem Jus natura, siue deinde singulis hominibus, siue integris gentibus applicatur,

CUm ergo Jus naturale sit, quod recta ratio inter omnes homines constituit, easque complectatur leges, quæ universo generi humano per rectam rationem sunt promulgatæ: homines autem, vel singuli seorsim (id est personæ simplices seu physice) vel prout in certas societates (id est personæ compositæ seu morales) coierunt, considerari possunt, Jus, quo singuli reguntur *naturale*: quo integrarum nationum actiones diriguntur, *Jus gentium* vocare solemus, adeoque eadem utriusque sunt præcepta. Sed quia civitates semel institutæ induunt proprietates hominum personales, lex, quam loquentes de hominum singulorum officiis naturalem dicimus, applicata totis civitatibus, nationibus, & gentibus vocamus Jus Gentium: quo sensu supra (a) Jus naturale civitatum à Jure naturali singulorum hominum discrevimus.

§. XVI.

Jus Gentium variè accipitur,

NE tamen ambiguo Juris gentium vocabulò decipiamur, quòd passim apud scriptores confundi videas, lubet varias ejus acceptiones asserere. Pervulgata est divisio Juri gentium I. in *primævum*, quod animantibus cum hominibus commune esse putant, & *secundarium*, quod solis hominibus competere statuunt. Sed cum hæc divisio (quam Corasius (b) Plutonis familia dignam esse ait) ad excusandam Justiniani definitionem quasi jus naturæ foret id, quod natura omnia naturalia docuit, ab interpretibus Romanis (c) excogitata esse

R 2

videa-

(x) L. 5. Divin. instit. c. 12.

(a) C. 1. §. 17.

(b) L. 5. Miscell. c. ult.

(c) Vid. Gerard. Novum in comment. ad Digest. de Instit. & Jure.

videatur, & juris gentium primævi, & secundarii commune, & unicum fundamentum in naturali ratione constituatur: ideo mirum non est, quòd jus hinc inde à Jurisconsultis (d) Jus gentium nuncupatum, passim alibi cum Jure naturæ (e) commisceatur. Et inde est, II. quòd aliquando per Jus gentium intelligatur facultas Moralis ex Jure naturali proveniens, atque ex hoc Jure gentium (utar verbis Hermogeniani) (f) *Introduc̃ta bella, discreta gentes, regna condita, dominia distincta, agris terminis positi, adificia collata, commercium, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes, instituta.* Accipitur III. pro lege civili pluribus gentibus communi, quòd alix aliarum imitatione aut fortuito, propriæ, & internæ felicitatis gratia citra mutuam obligationem receperunt, & ideo rectè apud Grotium Jus civile plurium gentium, lex civilis multarum nationum, Jus multis populis seorsim commune audit, quo Jus civile Romanum merito retuleris.

§. XVII.

Propriè sumptum pacto expresse, vel tacito innititur.

Nobis Jus gentium propriè dictum est, quòd gentium, qua talium, plerarumque, aut quarundam tantum voluntate, verbis, vel factis frequentibus declarata, usu, & commoditate exigente, mutux felicitatis promovendæ gratia, consuetudinis ad instar invaluit, & vim obligandi accepit, adeoque pacto tacito, vel expresse innititur. Unde sponte sua promanant vulgares divisiones Juris (g) gentium in *affirmativum, & negativum universale, & particulare, præcipiens, vel permittens*, quòd iterum est vel *internum*, quòd Jus dat ad aliquid omnino licitè agendum, quo Jus ceremoniale circa legatorum admissionem, & receptionem Jus præcedentiæ inter liberas gentes pertinet, vel *externum*, quòd gentes impunè tantum fieri permittunt, quo sensu omnia in hostem licere, & bello capta victori acquiri dicuntur, ne lites, & bella fiant immortalia. Dari autem Jus gentium diuturnis earundem, qua talium moribus introductum probatur communi gentium consensione, legitur enim passim apud illustres annalium, conditores, quòd ad Jus gentium nationes provocaverint. Sic Livius Legatos conjurationis de revocandis Regibus conscios excusat, inquiens: *Quamquam visi sunt commississe, ut hostium loco essent, Jus tamen gentium valuit.* Et alibi inculcat legatos, quòd *contra Jus Gentium arma ceperint.* (h) Apud eundem *scelus audit contra Jus gentium legatos interficere.* (i)

Confirmat usus continuus, quem partim ex testimoniis peritorum, partim ex eo colligimus, quòd circa objectum sibi consentaneum uniformiter gentes operentur, ac succenseant aliis, si à norma diu recepta deflectere incipiant. Tametsi itaque pleraque hujus Juris capita neque certam habeant originem, neque incisa legantur tabulis. Non tamen ideo subtesta sunt fidei; non enim uno momento, sed paulatim Jus gentium invaluit, & alluvione velut temporis incrementa cepit. Hinc quia repertum est temporis, & usus, quemadmodum originem Juris consuetudinarii certa conjectura assequi plerumque non licet:

(d) §. 1. & 2. Instit. de J. N. G. & C. l. 1. §. 4. l. 2. 3. 4. & 5. ff. de Just. & Jur. §. 2. & 4. Instit. de jur. pers. l. 4. & 5. de stat. hom. pr. Inst. de libert. §. 2. Inst. de rer. Div. l. 1. ff. de aq. rer. Dom. §. ult. Inst. de usu & habit. l. 31. ff. de pos. l. ult. ff. de rit. nupt. *aquissima vox est*, dixit Seneca l. 3. de benef. c. 14. & *Jus gentium præferens, redde, quod debes.*

(e) §. 2. Inst. de J. N. G. & C. §. 2. Inst. de rerum divis. l. 1. pr. ff. de Just. & jur. l. 84. §. 1. ff. de Reg. Jur.

(f) L. 5. ff. de Inst. & jur. conf. l. 64. ff. de condict. indeb.

(g) Vid. clar. D. Stapf de J. N. & G. P. 1. c. 1. §. 3. n. 6. & seqq.

(h) Lib. 5. c. 36.

(i) Lib. 4. c. 32.

licet : sic quoque Jus gentium juxta seriem temporis demonstrari nequit, quia secundum capita præcipua moribus utentium invaluit. (k) Hinc sæpè in una parte orbis terrarum est Jus gentium, quod alibi frustra quæsiseris. Juri gentium demum suffragatur aperta ratio, quia talia gentium instituta deprehendimus, in quæ gentes quæ tales mutuam utilitatem, & felicitatem respicientes consensisse censi debent. Quod tamen solis pactis præsertim tacitis temerè adscribendum non est, nisi perpetua quodammodo consuetudo gentium quæ talium, & , ut Livius (l) loquitur, *unus, & perpetuus tenor juris semper usurpatus, nunquam intermissus*, certissimus rationis, & obligationis index accedat,

§. XVIII.

Et hinc Jus gentium pro lege propriè tali accipi nequit, quia gentes invicem in statu democratico non vivunt,

EX quibus satis apparet, Juris gentium voluntarii, seu consuetudinarii originem, & obligationem ex consensu gentium quæ talium, verbis, vel factis, vel non factis declarato descendere, & ideo illos omnes frustra laborare, qui vel moribus gentium etiam uniformibus, & diuturnis nullam obligationis vim, & efficaciam adjiciunt, * vel qui his è diametro contrarii Juri gentium obligationem non qualemcumque ex consensu gentium inter se æqualium, sed à superiore proveniente, adeoque legalem affingere conantur. Lex enim sine obligatione, & obligatio sine legislatore concipi nequit: gentes autem inter se sunt æquales, nec superiorem, & ex consequenti nullum legislatorem communem præter Deum agnoscunt. Neque hic juvat cum aliquibus temerè fingere: universas gentes magnam aliquam, ac propriè dictam Rempublicam, seu Democratiam constituere, ita, ut universæ imperent: singulæ obediant. Si enim genus humanum consideratum tanquam ingens corpus, ex innumeris gentibus, velut membris vastissimis compositum summo imperio foret instructum, hoc vel Deo, ut libero collatori, vel ut auctori naturæ, vel arbitrio, & voluntati hominum referret in acceptis. Sed nihil horum absque nota manifesti commenti dici potest. Non primum: quia sacre pagine ne verbulo quidem indicant, quòd Dominus DEUS voluerit, ut ex
S univer-

(k) Conf. Gletle Jurisprud. fund. l. 1. Tit. 2. c. 3. §. 1.

(l) Lib. 35. c. 16.

* Thomafius in Jurisprud. Div. L. 1. c. 2. §. 107. 108. 109. sequenti discursu: omne Jus gentium eliminare contendit, quinimo, inquiens, gentes (omnes) inter se nec pacto obligantur. Ubi enim, & quando pactum ejusmodi fuit conditum? neque poteris in subsidium vocare pactum tacitum, quasi gentes ex imitatione, & continuato, ac propagato usu actionum à paucis initio susceptarum se tacitè obligaverint. Nam ejusmodi universalem, & continuatam imitationem nego. Nego solam imitationem inferre pactum tacitum. Sed fortè mores utentium illo Jure facient, ut Jus gentium sit Jus non scriptum. Fortè verò id non producendo Jus non scriptum extra civitatem non est. Consuetudo enim Jus est ob tacitam Principis approbationem, quæ si deficiat, consuetudo dicitur facti. Ast tacita Principis approbatio inter gentes ubi? Et quoad hoc ultimum me consentientem habet Thomafius. Cur autem consensui tacito ex perpetuis gentium moribus resultanti vis obligandi denegari debeat, sola negatione contra tot affirmantes Thomafius nondum evicit. Videantur Jo. Petr. Ludevigg in dissert. de Jur. adleg. ord. S. R. J. c. 4. §. 2. & Just. Henning. Böhmerus in Jur. Publ. univers. l. 1. c. 3. §. 22. & ibi in notis.

universo humano genere magna quædam, & propriè dicta Respublica confurgeret. Non secundùm: quia conservatio, & felix status humani generis potestatem hanc non exigit. Dummodo enim singulæ communitates perfectæ; quas civitates regna, & Gentes appellamus, obtineant summum Imperium; ac quoad ea, quæ pertinent ad convenientem communicationem plurium nationum inter se consociari pacto, & arbitraria conventionem possint, felicitati, ac incolumitati gentium abundè jam prospectum est. Hinc ad conservationem humani generis simpliciter, & absolutè necessarium non fuit, ut ex omnibus gentibus magna quædam, & propriè dicta Respublica auctoritate ferendarum legum, aliisque summæ potestatis civilis Juribus prædita coalesceret. Cùm si denique neque ex historiis, neque ex monumentis aliis constet, consensu Nationum omnium genus humanum in magnam aliquam Rempublicam coisse: & Reges, & Principes adeò non agnoscant in genere humano prærogativam Majestatis, ut potiùs apertissimè profiteantur, scepra sua soli Deo esse obnoxia: consensui, & arbitrio hominum universalis Reipublicæ existentiam in sensu adversariorum velle tribuere eò magis temerarium foret, quo evidentius patet, non esse, nec fieri potuisse, ut suffragiis omnium gentium confurgeret ingens illa Respublica, cùm plurimæ nationes hodièque notitiam nostram effugiant, nec etiam universalium comitiorum à gentibus hunc in finem celebratorum in omni historia ulla deprehendantur vestigia.

§. XIX.

Neque etiam necesse est dicere, Jus gentium à Deo ut Legem confirmari.

NEque etiam illorum opinioni accedere possum, qui diuturnis gentium moribus, usuique longævo obligationem legalem ab ipso Deo, ut immediato liberarum gentium Principe, & supremo gubernatore imponi auctumant. Et ideo Jus gentium dicunt esse ordinationem rationis, longævo gentium usu, Deique, ut societatis humanæ gubernatoris immediati, consensu inductam ad Gentium, quæ talium, publicam felicitatem, * Cùm autem ut celeberrimi, & veterani quondam Professoris mei (m) verbis utar, ad convenientem communicationem Gentium inter se præter Jus naturæ, quo non tantùm singuli homines, sed & gentes omnes qua tales obstringuntur, sufficiat, quòd illæ in ordine ad ea, quæ ad communem felicitatem earum inter se pertinent, arbitraria conventionem consociari possint, ex qua cùm non tantùm nascatur obligatio rigorosa justitiæ, sed insuper ex jure naturæ resultat obligatio legalis fidem datam servandi, nulla penitus apparet necessitas fingendi, quòd DEUS præterea tacitæ illi conventioni inter gentes initæ superaddat virtutem legalem, præsertim cum sacre litteræ ne remorum quidem ejus rei suppedient indicium. Et, ut huic discursui hoc addam, ex hac obligatione legali, à Deo moribus gentium superaddita, etiam nulla specialis in genus humanum redundat utilitas, quam non à gentibus, fidei expressè vel tacitè datæ tenacibus, ac Justitiæ, patrisque amantibus sperare liceat, quæ non minùs obligationem ex pacto, quàm

ex

* Conferri hic meretur clarissimus vir P. Ignatius Schvvarz in Instit. Jur. Nat. & Gent. P. 1. Tit. 2. Instruct. 4. per tot.

(m) Joannem Sigismundum Stapff intelligo, qui in celeb. & perantiqua universitate Friburg. Brisgov. Jura tam publica, quàm privata ultra 52. annos magna nominis sui celebritate docuit, & annis, meritisque gravis Anno 1742. demum huic mundo valedixit. vid. in tract. de J. N. & G. Part. 1. c. 1. §. 3. n. 4.

De Jure seu lege naturali ejusque primo cognoscendi Principio. 71

ex lege descendantem religiosè servabunt. Dum contra gentes aliæ, quibus id æquius, quod validius, etiam legis vincula dirumpere parùm curabunt. Et hæc interim de Jure Gentium dicta sufficiant, cui latius explanando integram Partem quartam præsentis operis destinavimus.

§. XX.

Ut Jus natura omnibus hominibus, & Gentibus commune ritè applicetur, primo ejus cognoscendi principio opus est, quod verum, adequatum, & evidens esse debet.

REdeo iterum ad Jus Naturale, quo omnem hominem venientem in mundum illuminari ab auctore Universi, id est, ei quasi ingenerari semina, scintillasque boni, malique, justi, & injusti, tam certum est, quàm evidens, Jus hoc cordibus hominum insculptum ex recta ratione, per quam Deus cum natura humana loquitur, omnibus, & singulis innotescere posse, & debere.

Quæ verò prima legis hujus naturalis Juris basis sit, quodnam fundamentum, ac primum principium, ex quo à priori (ut loquuntur) demonstrari possit, & velut ex sanctissimo ipsius Justitiæ penetrati educi, quænam Juri naturali adscribi oporteat, scopulosa semper, atque difficilis quæstio fuit, quæ multorum calamos & ingenia ita exercuit, ut plures in transversum egerit, nonnullos in tantam adduxerit dubitationem, ut eam inter impenetrabilia humani ingenii referrent. Quia autem nimis operosum, & odiosum foret, omnes variantes circa hanc materiam opiniones recensere, celebrioribus tantùm in medium allatis, & perstrictis, meam demùm breviter subjiciam. Intelligimus verò per principium Juris Naturalis non illud, quod à Metaphysicis principium essendi, seu fiendi nominatur, quòdque nobis principium obligationis est, sed principium cognoscendi, seu primam quandam, & generalissimam propositionem, ex qua cætera omnia Juris naturæ præcepta, veritatesque aliæ ex aliis facile per necessariam concludendi rationem, ac veluti per nudam subsumtionem elici, & in illam iterum resolvi possunt. Quo rectè infertur: principium cognoscendi, seu hanc propositionem fundamentalem ita comparatam esse debere, ut sit *vera*, id est, ut ei insit connexio subjecti cum prædicato, quomodo enim aliàs aliæ inde veritates deduci possint? *adequata*, ut scilicet non solum omnia, sed & sola Juris naturæ præcepta contineat, & *Evidens*, ut ejus veritas ex solo rationis lumine doctis & rudibus, fidelibus, & revelationis divinæ expertibus innotescere queat.

§. XXI:

Unde hoc principium in Decalogo non est quarendum,

Non igitur pro genuino Juris naturæ principio agnoscere possumus Decalogum, quam methodum tanquam ab ipso Deo præmonstratam, citra ambages sequendam monet Bœclerus ad Grotium: (n) sed hoc principium præterquàm quòd in aliud prius resolvi possit, nec adequatum est, cum singula decalogi præcepta ad Jus Naturæ referri nequeant, nec Evidens est illis gentibus, quibus revelationis gratia data non est. (o)

§ 2

§. XXII.

(n) In præfat. p. 4.

(o) Conf. Clar. D. Stapff. de J. N. & G. P. 1, §. 2. §. 12.

§. XXII.

Nec in præceptis Noa datis,

Multò minùs ex iisdem rationibus subsistere potest sententia Seldeni, (p) qui pro fundamento Juris Naturæ præcepta Noachica substernit, agit autem in his

I. de cultu externo, II. de maledictione nominis divini, III. de homicidio, IV. de turpitudine ex concubitu, V. de furtis & rapinis, VI. de Judiciis, VII. de animalis Esu, VIII. addunt de Sabbatho, & IX. de parentibus colendis. Verùm horum præceptorum origo incerta, & obscura est, neque principium hoc est adæquatum, nec Evidens.

§. XXIII.

Nec in sola utilitate,

Qui cum Carneade in sola utilitate principium Juris naturalis collocant, omnis Juris fundamentum subruunt. Ejus disputationis (ut scribit Lactantius (q)) summa hæc fuit. Jura sibi homines pro utilitate sanxerunt, scilicet varia pro moribus, & apud eosdem pro temporibus sæpè mutata: Jus autem naturale nullum esse. Omnes & homines, & animantes ad utilitates suas naturâ ducente ferri, proinde aut nullam esse justitiam, aut, si sit aliqua, summam esse stultitiam: quoniam sibi noceret alienis commodis consulens. Sic Carneades.

Inhumanæ huic hypothese perpetuum bellum indixit Hugo Grotius, (r) quem vide. Quantò humanior est philosophia Ciceronis (s) demonstrantis nihil esse utile, nisi sit honestum, & hominem naturæ obedientem homini nocere non posse? *Est enim hæc lex, ait: quâ natus es, ut ea habeas principia naturæ, quibus parere, & quæ semper sequi debeas, ut utilitas tua, communis utilitas sit, vicissim & aequè communis utilitas tua sit.*

Porro Jus Naturæ ex sola utilitate natum, non esset obligatorium: huic enim unusquisque, vel saltem totum genus humanum jure renunciaret, quod absurdum est, quia quidquid veræ nostræ felicitatis causa secundum jus naturæ agimus, id omne agimus volente, & jubente Deo, adeoque ex obligatione non modò interna, sed & externa, ac proinde tantum abest, ut renunciare quisquam suæ utilitati possit, ut potius non minùs poenam mereatur, qui legem suo bono conditam violat, quàm qui in Republica contra legem omnium singulorumque civium bono latam, vel in ejus fraudem aliquid facit.

§. XXIV.

Nec in jure omnium in omnes,

Non absimilem, generi humano perniciosam, opinionem fovere non erubuit, homo inter Christianos natus Thomas Hobbes (t) dum bellum omnium in omnes, & cum eo connexum propriæ salutis studium, pro fundamento Juris naturalis stabilire contendit, quasi illud homines in societatem Civilem, & ad alia, quæ Jus Naturæ præscribit, officia compulerit.

Uc

(p) Vid. ejus insigne opus de Jure Nat. & Gent. juxta disciplinam Hebræorum.

(q) Inst. Div. l. 5. c. 17.

(r) In proleg. §. 5. & seq.

(s) De off. l. 3. cap. 6. 12. & passim.

(t) Tr. de Cive. c. 1.

Ut autem probare videatur, quod fingit, omnium primo statuit, originem magnarum societatum non tam esse à naturali desiderio societatis, quam à mutuo metu propter hominum æqualitatem, mutuamque lædendi voluntatem, quæ nascitur ex ingeniorum diversitate, æmulatione, earumque rerum appetitu: unde cum pugna oriatur, quisque ait: studet sibi cavere, maximeque vitam, & membra tueri, quod, cum rectæ rationi conveniat, id Jus est, primùmque Juris fundamentum: unde concludit statum hominis naturalem, ante civitates seu societates Civiles fuisse bellum omnium in omnes, cum unusquisque non possit non vitam, & membra sua, quantum in suis viribus est tueri, & quia hoc Jus sine mediis ad hunc finem consequendum necessariis frustraneum foret; consequens esse, unumquemque Jus habere utendi omnibus mediis, & agendi omnia, sine quibus se conservare nequeat. Eidem ergo jus est omnia facere, & possidere, quæ ipse ad sui conservationem necessaria esse judicabit.

§. XXV.

Quòd contra Hobbesium demonstratur.

Verùm hoc bellum Hobbesianum è diametro pugnat cum natura atque conditione hominis, & omninò hominem ex homine tollit, universoque generi humano exitium, & excidium minatur, quod à sapientissimo providentissimi Conditoris sine omnino abhorret, eo ipso enim, quia inter nos cognationem quandam natura constituit, consequens est: hominem homini insidiari nefas esse. (*)

Si enim natura, ut saniorè Ciceronis Philosophia utar, præscribit, ut homo homini, quicumque sit, ob eam ipsam causam, quòd is homo sit, consultum velit, necesse est secundum eandem naturam omnium utilitatem esse communem, quòd si ita est, unà continemur omnes, & eadem lege naturæ, idque ipsum, si ita est, certè violare alterum, lege naturæ prohibemur: primum autem verum, verum igitur & extremum. Et anhe ignorare debuit, vel potuit Hobbes cælestis oris oraculum: quòd tibi non vis fieri, alteri non feceris. Neque excusat bellicam hanc Philosophiam, quòd assumit Hobbesius: homini naturalem nocendi, & facultatem, & voluntatem inesse, eumque prædominantibus affectibus scilicet competitione, defensione, & gloria ad bellum perpetuum impelli, adeo ut à spe lucti sit bellum *ex competitione*. *A metu*, ne alii in nos dominentur bellum, quò nos defendimus, aliosque vi aut dolo occupamus: & à *cupiditate gloria* bellum ad querendam, & amplificandam famam.

Verùm rectè ad hæc acutissimus Rich. Cumberlandus (x) qui eadem refert & refutat: ego, inquit, ad hoc ita universaliter respondendum esse censeo: hominem his affectibus non necessariò duci, aut impelli, sed eos, aliosque omnes ratione ac consilio temperari posse, ac regi, adeo ut falsum sit hoc naturali ac invincibili impetu in ejusmodi bellum homines, & inde licitum illud esse, colligere. Deinde estne hoc bona fide agere, quòd Hobbesius pro stabiliendo suo principio eos tantum affectus producat, & odiosè exaggeret, qui ad turbas & bella hominem concitare possunt, omissis his, qui pacem, concordiam, & tranquillitatem suadent? quid hoc est aliud, quam rationem perversam cum recta, & facta cum jure confundere? An non æquè in homine facultas, & voluntas est benefaciendi, ac nocendi? Quid absurdius, & generi humano perniciosius? Cum enim civitates, earumque Rectores in statu naturali, id est, juxta Hobbesium bellico degant, quid aliud inde consequi potest, quam paci, aliisque pactis inter summos imperantes nullum esse locum,

cum

(*) Florentinus-Ictus in l. 3. ff. de J. & J.

(x) De leg. Nat. c. 1. §. 32.

cùm jus ipsis competat in omnia. Quod quidem à salute generis humani institutorumque Imperiorum & Scopo, & dignitate longè alienissimum. Parùm etiam ad rem facit, quòd status naturalis sit æqualitatis, & nemo alterius judex, proinde quemlibet jus habere, quod libet, quòdque potest faciendi: distare igitur rationem, ut ab hoc statu naturali homines in civitatem coëant, & juri omnium ad omnia renuncient.

Sed facit quidem natura singulos liberos, ac suæ quemquam arbitrum utilitatis, sed nulli permisit jus nocendi alii, à quo illi non nocetur, non enim natura mihi aut alii sceleris licentiam specie libertatis concessit. Nam cùm omnibus providere voluerit æqualitate Juris: quomodo est possibile eam voluisse, aliis ab alio de æqualitate moveri controversiam? Certè natura omnibus æquè benigna, procurato omnibus æquali jure, non potuit velle, alios ab aliis in ejus usu turbari sinè causa: sed è diverso alios ab aliis, quantum licet sinè suo imo etiam cum aliquo incommodo, mutuis officiis adjuvari. Quia homo homini etiam sinè pacto, ratione, id est, naturæ lege ad mutuam officiorum præstationem pro communi utilitate conjungitur. Hinc quisquis alium injuria afficit sciens volens, turbandæ æqualitati humani generis periculosè imminet: Teste adagio: *multis minatur, qui uni facit injuriam*: nec est, cur talis speret, ab aliis sibi servatum iri jus, quod ipse primus intervertit aliis, cùm omnes sint natura pares: nec uni liceat, quod non liceat alteri. Et denique qui ratione non dirigitur, quam natura posuit Regulam actionibus humanis, is se regit legibus aliis, quam naturæ humanæ, ostendens: se nolle uti communi omnium jure, & sic se separando ab humana conjunctione, non potest etiam juris societas esse cum eo, qui eidem rebus & factis renunciat. Sed satis de his usque dum infra plura.

§. XXVI.

Nec hoc primum cognoscendi principium ex voluntate DEI derivandum est,

Longè rectius sentiunt illi, (y) qui principium Juris Naturalis primum in voluntate Dei quærunt, quibus facilè assentiret, si de principio essendi sermo foret. Sed cùm de principio cognoscendi loquamur, per quod voluntas Dei hominibus innotescere debeat, in horum partes transire, vel ideo etiam haud possum; quia neque adæquatum foret, cùm leges etiam divinas positivas comprehendat.

§. XXVII.

Nec ex socialitate,

Nequè etiam omninò contemnenda est sententia eorum, (z) qui ex socialitate tanquam unico, & universali Juris Naturalis principio omnes cæteras conclusiones eò pertinentes derivari posse arbitrantur. Sed enim non est adæquatum hoc principium, quoniam officia erga Deum, atque erga se ipsum non sinè ambagibus ex societatis humanæ custodia erui possunt. Et si nullum sit Naturæ Jus sinè societate humana, Adamusne ante alios creatos homines exlex vixit? Apodicticam quidem huic socialitatis principio inesse demon-

(y) Henr. & Sam. Coccejus. Juris Nat. & Henr. Con. Kestnerus in J. N. & G.

(z) Nicol. Hertius in dissert. de social. prim. Jur. Nat. princ. Puffendorff de J. N. & G. lib. 2. c. 3. §. 15. à qua hypothesi Grotium ipsum non alienum fuisse, patet ex §. 6. proleg. in Tr. de J. B. & P.

De Jure seu lege naturali ejusque primo cognoscendi Principio. 75

monstrationem summo conatu evincere annisus est Balthasar Wernlerus, (a) idque inspecta, & ritè exanimata hominis natura & conditione ad sequentes Regulas revocavit. I. Quidquid ita comparatum est, ut si ab omnibus hominibus ommitteretur, universo generi humano pereundum foret, id Jure Naturæ omnibus, ac singulis præceptum censi debet. II. Quidquid ita comparatum non est, illud ne à singulis quidem, ut fiat, necesse est, nec Jure præceptum haberi potest, sed licitum, & indifferens. III. Quidquid ita comparatum est, ut si ab omnibus fieret, generi humano pereundum esset, illud ne à singulis quidem fieri debet, sed Jure Naturæ prohibitum est. IV. Quidquid ita se non habet, illud nec prohibitum Jure Naturæ est censendum. Verùm & hæ Regulæ suis non carent scrupulis. Nam ex his sequeretur, quòd omnes operam dare debeant agriculturæ, quòd Cælibatus sit contra Jus Naturæ &c. (b)

§. XXVIII.

Nec ex sanctitate DEI, aliisque similibus hypothefibus,

A Lii denique omnes conclusiones ad Jus Naturæ pertinentes, vel I. ex sanctitate Dei, II. vel ex statu integritatis, III. vel ex conformatione creaturæ rationalis cum Creatore, vel IV. ex fine mundi conditi, V. vel tribus illis Juris consultorum axiomatibus: *honestè vivere, alterum non ledere, suum cuique tribuere &c.* tanquam ex limpidiſſimis fontibus derivari posse autumant. Sed ne illa quidem prima vel evidentia vel adæquata principia esse, ex jam dictis, & mox dicendis constabit, *

§. XXIX.

Communis apud Theologos & Jurisconsultos Catholicos recepta sententia pro primo legem naturalem cognoscendi principio agnoscit felicem statum generis humani,

NObis in tanto variantium opinionum dissidio, penitiùs cuncta perscrutantibus non aliud verius, evidentius, & adæquatiùs occurrit universi Juris naturalis principium, & fundamentum, quàm felix generis humani status, qui omne illud spectato Jure Naturæ licitum, præceptum, aut prohibitum esse exigit, quod ad ejus conservationem & perfectionem simpliciter, & necessariò expedit esse licitum, præceptum, vel prohibitum.

Nam Deus infinitæ Sapientiæ, & bonitatis Ens, nihil aliud vult, quàm ut homines, quos condidit, verè felices sint ac beati: Ipse enim perfectissimus nulla re indigens, homines solos ex rebus creatis nobis cognitis, felicitatis capaces, utique non suæ felicitatis causa creavit, sed ut eos veræ felicitatis participes redderet: quod totus homo animo, & corpore constans eloquitur. Quemadmodum enim intellectum accepit, ut Deum, naturam, omnéque verum bonum cognosceret: voluntatem, ut Deo veròque bono frueretur: Corpus organizatum, ut varias actiones, quæ ad acquirendam conservandamque veram felicitatem pertinent, edat: ita exinde manifestò patet; hominem ideo à Deo

T 2

creatum

(a) In Element. J. N. & G. c. 5. §. 17. & dissert. de Method. gen. leg. Nat. investigandi &c. cui addi debet Sirbrandus, qui regulas circa in differentia seu licita attextuit in dissert. de principiis Jur. Nat.

(b) Conf. Clar. D. Stapff. cit. cap. n. 13.

* Vid. clar. P. Schvvarz in Inst. Jur. Nat. & Gent. P. 1. Tit. 2. instruct. 3. §. 2. q. 14. ubi varias de primo hoc principio opiniones ex Kemmerichio ad 7. classes revocavit.

creatum esse, ut veram cum eo felicitatem communicaret. Consequenter etiam leges naturæ hominum causa condidit, nec iis quidquam intendit aliud, quam ut iis bonæ & utiles sint, eorumque naturam conservent, & perficiant, adeoque vera felicitate perficiantur. Cum ergo hæc Dei voluntas sit, ut homines, quos condidit, verè felices ac beati sint. Voluntas verò & sapientia Dei sit norma actionum humanarum, liberarum, ac fons Juris Naturæ, & justitiæ. Sequitur I. id omne spectato Jure Naturæ esse licitum, quod simpliciter, & necessariò expedit esse licitum ad felicem statum Naturæ humanæ. II. Illud vi ejusdem Juris Naturæ sub obligationem cadere, quod in ordine ad eundem finem simpliciter, & necessariò expedit esse præceptum, vel vetitum. Ac denique III. illud Jure Naturæ esse graviter, vel leviter prohibitum, quod probeata humani generis conditione simpliciter, & necessariò expedit esse graviter, vel leviter prohibitum: nam non omnia, ob imbecillitatem humanæ naturæ graviter prohibita esse exigunt, quia etiam *Justus septies in die cadit.*

§. XXX.

Sed hoc principium videtur fovere mendacium, adeoque non esse verum,

AT, ais, his regulis sua non constat veritas, quia fovent mendacium, quod virtute harum Regularum in multis casibus posset esse licitum, imò præceptum, quando scilicet de felicitate generis humani, vel insignioris ejus partis ageretur, quod tamen Catholica veritas æternæ veritatis particula, uno ore abominatur.

Ast firmæ manent Regulæ, quæ non respiciunt id, quod in his vel illis circumstantiis fieri expediret: sed quod ubique, & semper simpliciter, & necessariò expedit esse licitum, præceptum, vel prohibitum, id est, cujus licentia, præceptum, vel prohibitio plus boni, quam mali affert generi humano, quid autem futurum putamus, si sub specie majoris boni sperandi, quam timendi mali mendaciis uti liceret. Hoc, qui admittit, omnem fidem è medio tollit, & una omne humanum evertit commercium.

§. XXXI.

Nec etiam Evidens,

Sed necdum salva res est: saltem regulæ propositæ non sunt Evidentes: id ipsum enim sæpissimè est ancipitis disceptationis, an hoc vel illud ad felicem statum naturæ humanæ pertineat, nec ne? nam quis nescit, homines pro diversitate statuum, conditionum, fortunæ, geniorum, & ingeniorum diversis modis suam felicitatem metiri, quod hic amat, alter odit, flet Heraclitus, Democritus ridet.

Hic Rhodus, hic Saltus, hunc nodum Gordium feliciter se solvisse autumant præcatorum Regularum auctores, (c) si nos ad statum possibilitatis, ut ajunt, revocent, & humanum genus in eo statu collocatum, atque in consilium ab auctore Naturæ adhibitum fingant. Homines, ajunt, in tali statu constitutos, & ab auctore Naturæ, ut de licentia, præcepto vel prohibitione actionis humanæ liberæ mentem suam aperirent, & suffragium ferrent, vocatos, non aliud votum dare, & consilium suggerere potuisse, quam quod simpliciter necessariò & absolute ad felicem generis humani conditionem conducere

(c) Gletle ex Card. Pallavicino Jurisprud. fund. T. 2. c. 2. §. 3. n. 6. & seq. Clar. D. Stapff. cit. c. 1. §. 2. n. 14. & seq.

cere arbitrentur : nam hoc ipso, quod nulli penitus de futuro suo statu constaret, sed spes fortunæ prosperæ, & metus adverſæ omnes æqualiter, aut erigeret, aut deprimeret, non nisi rectæ rationis *lumen*, quod *ſignatum eſt ſuper nos*, ab omnibus præjudiciis, paſſionibus & affectibus purum, & vacuum præ oculis haberent, ac ſequerentur. Sed an non hoc eſt principium petere? cùm id ipſum in quæſtione ſit, an hoc, aut illud conveniat, vel diſconveniat incorruptæ naturæ, ſeu rectæ rationi, quod fictio illa ſtatûs poſſibilitatis adeo non explicat, ut magis implicare & aliunde obſcurum magis obſcurum reddere videatur. Quis, quæſo divinabit, quid in illo ſtatu poſſibilitatis fuiſſemus reſponſuri, quem induti hac carne, ejusque comitibus, id eſt affectibus & paſſionibus nec animo concipere, vel fingere licet? Certè tanti momenti veritatem fabulis, & fictionibus præmunire, & ſuperſtruere tam parùm decet, quàm parùm hac hypotheſi infinitæ Creatoris Majeltati, Sapientiæ, & providentiæ conſultitur, dum Enti huic abſolutiſſimo creaturam, id eſt, inanè nihil, ut intimum conſiliarium adjungimus, & licentiam, abſconditam ejus dipteram inſpiciendi concedimus. Verùm, ſi hæc omnia etiam liberaliſſimè largiremur, ſaltem hoc principium ad ſolas leges naturales abſolutas cognoscendas reſtringi deberet, conſequenter adæquatum non foret : cùm enim juxta datam hypotheſin hominem fortunæ, & conditionis ac ſtatus ſui, aliorumque proſus ignarum fingimus, unde derivandæ erunt illæ leges naturales hypotheſicæ, quæ certum hominis ſtatum ſupponunt, atque voluntatis humanæ actum conſequentur? ſtatus ergo hic poſſibilitatis hominibus quoad maximam ſui partem incognitus, & obſcurus norma legis naturalis eſſe non poteſt.

§. XXXII.

Statuuntur tria cognoscendi principia : I. Cole Deum, II. Conſerva Te ipſum, & III. Serva ſocietatem cum aliis.

AGite igitur, videamus, quid aliud ſuperſit? ſtatum hunc poſſibilitatis non ita ſimpliciter rejiciendum, quin potiùs tanquam hypotheſin eruendis & explicandis officiis & obligationibus hominum aptiſſimam, retinendam eſſe putarem, modò meminerimus, fortè omnes iſtos fruſtra ſe torquere, qui unicum tantum principium cognoscendi ſtabilire conantur, quod omnes leges naturales, omniâque officiorum genera ambitu ſuo contineat. Sicut enim tres ſunt diverſi termini ſeu objecta, ad quæ actiones hominum in diverſis ſtatibus conſideratorum tendunt : ita etiam totidem principia in ſuo genere prima reſpectu habito ad ſingulos ſtatus, in quibus homo vivit, retento ſtatu poſſibilitatis comodiffimè ſtatui poſſe videtur. Sunt autem objecta, circa quæ actiones hominis tam in ſtatu naturali, & abſoluto, quàm adventitio conſtituti verſantur. I. Deus, II. homo ipſe, & III. alii homines. Si enim hominem, ut hominem ſeu in ſtatu abſoluto conſideratum hanc naturam habere deprehendimus, quòd ſit animal rationale à Deo conditum, ſuæ conſervationis, perfectionis, & felicitatis ſtudioſiſſimum, per ſe tamen egenum & ſinè aliorum ſui ſimilium auxilio miſerum : ad mutua promovenda commoda quàm maximè natum, aptum, non minùs tamen etiam perversa aliis ſui ſimilibus nocendi voluntate, & facultate præditum, & promptum. Ex hac hujus ſtatûs conſideratione recta ratio certè ac evidenter concludit, cum beata hominis conditione hæc tria principia convenire I. Deum cole : II. Conſerva Te ipſem : & III. Serva ſocietatem cum aliis pacatam & tranquillam : conſequenter tria hæc per legem naturalem ab auctore Naturæ Deo, præcepta, iſdemque contrariâ prohibita eſſe.

§. XXXIII.

Ostenditur primum Principium,

SI quis enim naturam hominis, tum in universum, tum suam uniuscujusque profunda meditatione contempletur; & complicatam ut eleganter Cicero (a) dixit animi sui notionem evolvat, seque ipsum doceat, ut animal rationale necessario intelliget, se à Deo creatum esse, & absque ejus auxilio conservari non posse; si deinde hanc cognitionem, cum ea, quam de Deo naturæ humanæ conditore, & conservatore habet, combinet, non potest non concludere; naturæ humanæ quam maximè conveniens esse, ut Deus tam beneficus naturæ humanæ Creator, Conservator, omnisque Auctor felicitatis à singulis hominibus intensissimè ametur, atque colatur: consequenter Deum potuisse, & voluisse homines ad sui amorem, cultumque, utpote ad felicem generis humani statum simpliciter necessarium, lege naturali obstringere. Cum Teste Lactantio (e) primum Justitiæ fundamentum sit Deum agnoscere, ut parentem, cum metuere, ut dominum, diligere, ut patrem, vitata omni superstitione.

§. XXXIV.

Ostenditur secundum,

Eodem modò principium alterum: *Conserve se ipsum ex consideratione naturæ humanæ, ejusdemque cum cognitione conservationis, perfectionis, & felicitatis propriæ, facta combinatione, deducitur.* Si enim homo, animal suæ conservationis, perfectionis, ac felicitatis studiosissimum, adeoque ad sui amorem & inde fluentem conservationem, non destructionem creatum sit: recta ratio necessario infert: convenientiam summam inter naturam humanam, & ejusdem conservationem, felicitatemque intercedere: ac per consequens hominem ad sui amorem, conservationemque necessario, & simpliciter obligari; hancque conservationem non vitam duntaxat, & membra corporis, sed & voluntatem, & intellectum, facultates corpore potiores, respicere. Qua ratione etiam eloquentiæ Romanæ parenti (f) vitum fuit, *numquodque animal, simul atque natum est, ipsum sibi conciliari, ac commendari ad se conservandum, atque ad suum statum, & ad ea, quæ sunt conservantia ejus status: alienari autem ab interitu, usque rebus, quæ interitum videntur asferre.*

§. XXXV.

Ostenditur tertium,

Veritas principii tertii facile ex accurata tum naturæ humanæ, tum socialitatis, & inde profluentis felicitatis contemplatione, earumque inter se facta combinatione ad oculum demonstrari potest. Homo enim se conservare, & felix esse debet: absque auxilio verò aliorum, sive eum ut infantem, sive jam adultiorem, sibi soli tamen relictum consideremus, miser est, & conservari tutò nequit: ut itaque se conserveat, & felicitatem humanam consequatur: necessarium est, ut homines alios amet, & consequenter cum illis aliis socialiter vivat. Quare socialitatem pacatam & tranquillam cum felici statu hominis convenire, eumque ad eandem colendam, aliisque homines amandos simpliciter & necessario obligari, evidenter concludimus.

Quò

(a) L. 3. c. 19.

(e) Inst. div. l. 4. c. 3. & c. 28.

(f) L. 3. c. 5. de fin.

Quò respiciens Seneca (g) omnino præclare differit, inquiens: *Quo alio suti sumus, quàm quod mutuis juvamus officiis? hoc uno instructior vita, contraque concursiones subitas munitor est, beneficiorum commercio. Fac nos singulos, quid sumus? prada animalium & victima, ac vilissimus, & facillimus sanguis. Hominem imbecillitas cingit nudum & infirmum societas munir. Duas res dedit, qua illum obnoxium cæteris validissimum facerent rationem, & societatem. Itaque qui par esse nulli posses, si deduceretur, rerum potitur: societas illi dominum omnium animalium dedit. Hæc morborum impetus arceat, senectutis admicula prospexit, solatia contra dolores dedit. Hanc tolle, & unitatem generis humani, qua vita sustinetur, scindes.*

§. XXXVI.

Declarantur ulterius prædicta tria principia.

His positis recta ratio per ulteriorem argumentationem procedit, & necessario infert, cum felici statu hominis quoque convenire, ut media omnia ad hosce tres fines consequendas apta, ab hominibus adhibeantur, eaque omittantur, quæ illos à consecutione eorum finium impedire & infelices reddere possent. Regula enim lumine rationis omnibus nota est: (h) in moralibus, qui dat finem, dare etiam ea, quæ ad finem perducunt. Quemadmodum & ea, quæ ad finem ducunt, in morali materia æstimationem accipiunt ab ipso fine: quare quæ ad finem Juris consequendum sunt necessaria: necessitate sumta non secundum Physicam subtilitatem, sed moraliter, ad ea quoque Jus habere intelligimur. Nam legislator, qui vult obligare ad finem, vult quoque obligare ad ea, quæ ad finem ducunt: frustra enim daret ei Jus ad finem, nisi ei quoque daret Jus ad ea, sine quibus ad finem non sit perventurus.

§. XXXVII.

Applicantur hætenus dicta ad eruendas leges naturales absolutas;

A Tque ex hætenus allatis non adeo difficile erit, ut opinor, omnes leges naturales absolutas non tantum cognoscere, sed etiam demonstrare, quid ad felicem generis humani statum simpliciter & necessario expediat esse licitum, præceptum, vel prohibitum. Nam ex his tribus principis omnium maximè universalibus, omnes leges naturales absolutæ per ulteriorem consequentiam deducuntur: sicut enim actiones hominis triplex solummodo objectum habent, I. Deum, II. se ipsum, III. & alios: ita & leges naturales ad tres tantum classes referuntur, dum nempe I. vel actiones hominis erga Deum: II. vel actiones hominis erga se: vel III. denique actiones hominis erga alios dirigunt. Sic ex primo principio omnes illæ leges naturales, quæ officia hominis erga Deum: ex II. illæ, quæ officia hominis erga se: ex III. leges illæ, quæ officia hominis erga alios præscribunt per certam, & evidentem argumentandi methodum recta ratio deducit, & primò quidem, si homo in se, suamque originem reflectat, quam Auctori Naturæ Deo O. M. in solidum debet, si, quantum præ cæteris animantibus emineat, & distinguatur, recogitet, non poterit non hunc in modum ratiocinari. Deus est, cui te, tuæque omnia debes. Igitur eidem in solidum es obligatus. Ei igitur obtemperandum, hoc enim summa illa à creatore dependentia necessario infert. Igitur ad rectissimæ ejus voluntatis normam vita tua, actionesque componi debent. Ergo non es Ens absolutum, sed *ad aliud, & ob aliud, & ab alio factum.*

U. 2

Nam

(g) L. de Benef. 4. c. 18.

(h) Grotius hanc regulam non uno in loco inculcat l. 2. c. 5. §. 24. n. 2. & c. 7. §. 2. n. 1. item c. 14. §. 11. l. 3. c. 1. §. 2.

Nam non es, quàm quia Deus te esse voluit. Totus ex alio pendens, qui Deus est, hic est, qui te condidit, & eximiis adeo facultatibus instruxit, ut eum tanquam Auctorem tuum agnoscere, amare, ac revereri, ipsiusque opera admirari, tuas demum facultates cum corporis tum animi ad ejus gloriam referre, ac diversa planè ratione à brutis vitam tuam exigere valeas, ac debeas. Hæc nimirum Imperii divini præsuppositio est, & cum indicat statum naturalem, qui etiam humanitatis appellatur, & bestiali opponitur, qui quidem status obligationem servandi legem naturæ in universum involvit: erga **DEUM** tamen imprimis, cujus bonitati omnia in acceptis referenda sunt. En! primam, & omnium maximè necessariam legem universalem ama, & *Cole Deum*: inde officia absoluta erga Deum. Deinde produxit Te Deus: ergo voluit, ut serveris, perficiaris, & succrescas, non ut destruaris, & intereas. Sapientia enim divinæ non convenit, frustra quid facere, & quod factum est, servare nolle: ergo omne id voluit, absque quo conservatio illa obtineri nequit. Nam qui ad finem obligat, censetur quoque obligasse ad adhibenda media fini necessaria. En! iterum legem universalem ama, & *conserva Te ipsum*. Et inde officia erga te ipsum. Cum autem homo absque auxilio aliorum sibi similium sive eum ut recens natum, sive adultum consideremus se ipsum conservare non posset, quod ex contemplatione miseræ hominum conditionis per se manifestum est: ideo socialitatem cum natura hominis convenire, eumque ad eam colendam obligare, ex necessitate finis evidenter concludimus, & meritò inferimus: ama proximum, id est, *cole societatem cum aliis hominibus*: & en! fontem officiorum erga alios homines.

§. XXXVIII.

Et ad hypotheticas.

Superest, ut de statibus adventitiis, in quibus homo vivit, nec non de modo, quo leges naturales hypotheticæ ex contemplatione hominis in hisce statibus considerati deriventur, pauca dicamus. Cum autem status hi multiplices sint, opera danda est, ut in quonam statu adventitio homo considerandus sit, probe cognoscamus. Quo cognito, natura ejusdem status sedulo erit examinanda, quæ secundum omnes suas circumstantias nobis, quantum licet, perspectissima esse debet, quo pertinet illa regula, rerum moralium naturam ex operationibus cognosci: res enim, quæ à voluntate hominum originem ducunt, id sunt, & vocantur, quod eas esse effectus demonstrant.

Dein etiam natura ejus, quod quæritur, seu status quæstionis acuratè excutiendus erit, ubi demum comparatione, & combinatione facta facile judicari poterit, an natura ejus, quod quæritur, cum fine status illius adventitii, in quo homo consideratur, conveniat, aut disconveniat? & sic dispositio legis naturalis hypotheticæ facile patebit. Sic si quæras, quanta sit potestas Parentum? prompta erit, facilisque responsio, quantam societatis Parentum, & liberorum finis exigit, tanta scilicet potestas parentibus in liberis concessa esse intelligitur, quanta ad rectam eorum educationem sufficit; inde fluunt officia, quæ liberi parentibus, parentes liberis debent. Quo positò illa quæstio, an parentibus jus vitæ, & necis in liberos competat? facile negativè deciditur. Rursus si quærat, quousque maritale imperium se extendat? prona est responsio, quantum requirit finis conjugii, relique familiaris hinc rectè inferes, abortum procurare esse illicitum, quia fini societatis nuptialis adversatur. Eodem modo finis societatis herilis determinat officia domini & servi.

Pariter in difficili quæstione de Republicæ, sive civitatis origine, causaque impulsiva externa, sive utilitate, planum est è natura finis judicare. Hic enim ipse finis esse videtur, qui tegreges familias malitiæ humanæ, infirmitatisque

De Jure seu lege naturali ejusque primo cognoscendi Principio. 81

tisque suæ benè gnaras, ad constituendas societates civiles perfectas, seu Respublicas, vel invitas incitavit, ac perpulit: verbò *tranquillitas, securitasque ac beatitudo civilis*: quæ cum sinè imperio, & obedientia obtineri non possint: Hinc facilè patet, quænam sint jura, & officia Principis, seu imperantis, quænam obligationes jura, & officia subditi, & obedientis. *Si enim, ut non minus verè, quàm eleganter ratiocinatur Barclajus (i) genus humanum sua sponte intra fines justitia contineri posset, tunc in pari omnium pietate non supervacua modo, sed injusta essent imperia, quæ civis jam sponte acquissimos, ad inuisilem servitutem redigerent.*

§. XXIX.

Qua omnia tamen denique ad principium universale amoris Deo, sibi ipsi, & proximo naturaliter debiti redigi posse videntur.

NE quid tamen dissimulem, facilè transigerem cum illis, qui ex solo amore Deo, sibi ipsi, & aliis hominibus debito tanquam ex fæcunda & unica radice omnia & sola legis naturalis capita, & officia Deo, sibi ipsi, & aliis hominibus perfectè, vel imperfectè præstanda, vel sponte sua promanare, vel per rectam concludendi rationem dignosci posse, ac ex hoc principio universaliter, legem universalem pendere arbitrantur, huncque in modum ratiocinantur: *Fac, vel omitte ea, quæ ex amore Deo, tibi, & proximo naturaliter debito hoc est, ad felicitatem naturæ rationali propriam necessario vel faciendæ, vel omittendæ sunt.* Quo posito ulterius sic inferunt. I. Illud omne, & solum, seu graviter seu leviter est jure naturæ præceptum, quod strictè vel minus strictè exigitur ab amore, Deo, tibi, vel proximo naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem naturæ rationali propriam, necessario.

II. Illud omne, & solum, seu graviter seu leviter est naturæ jure prohibitum, quod graviter vel leviter repugnat amoris, Deo, tibi, vel proximo naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, necessario.

III. Illud omne & solum est Jure naturæ licitum, concessum, seu permittitur, quod nec absolutè repugnat, nec absolutè exigitur ab amore, Deo, tibi, vel proximo naturaliter debito, hoc est ad felicitatem naturæ rationali propriam, necessario. * Demonstrationem, & summam harum regularum his paucis comprehendit Magister omnis Juris perfectissimus, & fallere, & falli nescius Christus Dominus: *(k) Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum, sicut te ipsum.* Quibus omninò consona & hanc in rem aptissima habet S. Augustinus, *(l) inquit: Quæ disputationis, qua litteræ quorumlibet Philosophorum, qua leges quarumlibet civitatum, duobus præceptis, ex quibus Christus dicit totam legem Prophetasque pendere, ullo modo sint comparanda? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua;*

X

(i) In Argen. l. 1. c. 15.

* Videatur omninò clariss. P. Schvarz in Inst. Jur. Nat. & gent. P. 1. Tit. 2. Instruct. 3. per tot. ubi hoc principium (quantum in materia hac perplexa fieri potuit) perspicuè demonstrat, clarè explicat, feliciter applicat, & à replicis solidè liberat, simulque ostendit Jo. Gottl. Heineccium, qui etiam amorem in Elem. Jur. Nat. & gent. l. 1. §. 82. & seq. pro primo Jus naturale cognoscendi principio agnovit, in eo non adeo accuratum fuisse, quod amorem Ethicum meræ devotionis, beneficentiæ & humanitatis, vel etiam amicitiae admisisse videatur, dum statuere oportuisset amorem naturali Jurisprudentiæ proprium, hoc est, amorem justitiæ tam rigorosæ, quàm minus rigorosæ, prout notat æquitatem, in naturæ debito fundatam.

(k) Lucæ 10. v. 27. Math. 22. v. 39.

(l) Epist. ad Volusianum.

se tua; & proximum tuum tanquam te ipsum? hinc Logica, quoniam veritas, la-
ménque anima rationalis, non nisi Deus est. Hic etiam laudabilis Republica salus:
neque enim conditur, & custoditur optima civitas, nisi fundamento, & vinculo
fidei, firmâq; concordia, cum bonum commune diligitur, quod summum, ac verif-
simum Deus est, atque in illo invicem sincerissimè se diligunt homines, cum pro-
pter illud se diligant, cui, quo animo diligant, occultare non possunt.

§. XL.

*Leges naturales absoluta & hypothetica obligant in
conscientia.*

Sive autem leges naturales sint absolutæ, sive hypotheticæ, quia veræ leges
sunt, conscientias hominum constringunt, & pro diversitate amoris Deo,
sibi ipsi, & proximo naturaliter debiti, & ad felicitatem naturæ rationa-
li propriam, necessarii, modò gravem, modò levem, actiones præceptas eden-
di, & vetitas omittendi obligationem imponunt. Ipsa verò obligatio tum in
nobismet ipsis per ingenitam quamdam vim, pudorem, item & interiorè il-
lum Carnificem nos lancinantem abundè se manifestat. De quo Catholico-
rum nemo dubitat. (m)

§. XLI.

Non tamen omne, quod prohibent, semper etiam irritant.

Dubio autem non caret, an actio contra Juris Naturæ prohibitionem edita
non tantùm illicita, sed etiam invalida sit? Notum est Juris axioma,
multa prohiberi fieri, quæ tamen facta tenent: & certè diversa sunt
prohibere, & irritum quid facere; nam prohibitio vim suam exserere potest
per poenam, vel expressam vel arbitrariam, quam Deus sibi suo tempore infli-
gendam reservat. Hinc etiam non omnia, quæ Juri Naturæ repugnant, eodem
jure irrita dici necesse est. Sufficere enim potest ad validitatem actus humani,
si in agente potestas & voluntas, essentialia omnis humanæ actionis principia,
adsint. Et ex hoc fundamento matrimonium post emissum simplex castitatis
votum, aut promissionem sponsalium alteri factam, initum, illicitum tantùm,
non invalidum esse dicunt, quia voto, & promissione potestatem tantùm ligari,
non verò omninò tolli, vel adimi censent.

§. XLII.

Quod per certas regulas declaratur.

Tunc demum ergo actus Jure Naturæ prohibitus, simul erit irritus, & in-
validus I. si vel potestas, vel voluntas in agente deficiat, & sic princi-
pium dans validitatem actui desit. Hinc matrimonium irritum est con-
tractum cum ea, quæ jam alii nupta est, quia sic contrahens facultate morali,
substantiali omnis actus humani principio caret, & nemo alteri dare potest,
quod non habet: *Mulier autem sui corporis potestatem non habet, sed vir, simili-
ter & vir sui corporis potestatem non habet sed mulier*, ut docet Doctor Gentium
(n) sic eodem Naturæ Jure contractus dolo, vel errori innixus, qui voluntatem,
adeoque consensum tollit, omnis obligationis erit expers. Pariter II. actus ob
incapacitatem materiæ Jure Naturæ prohibitus simul est invalidus; & hinc ma-
trimonium perpetuò impotentis ad copulam conjugalem subsistere nequit, quia
ad

(m) Vid. Suarez. L. 7. c. 9.

(n) 1. ad Corinth. c. 7. v. 4.

ad valorem matrimonii de Jure Naturæ requiritur, ut conjuges sibi mutuam jus in corpora sua ad ulum humanæ generationis tradant. Quid ergò dicendum de matrimonio effecti sènis? Denique III. quando actus Jure Naturæ prohibetur ob turpitudinem perpetuam, ac vitium ipsi effectui adhærens, itidem actus non tantum illicitus, sed etiam irritus, & nullus est. Parum enim natura felicitati generis humani per solam actus prohibitionem prospexisset, si effectus inde secuti valerent, cum turpitudinis actus ab ejus valore inseparabilis sit. Hinc non minus turpe est usuras mordentes accipere, quam retinere. *

§. XLIII.

Est autem Jus Natura immutabile,

Quia denique lex naturalis, ut existit in creaturis ratione utentibus, est dictamen rationis naturalis, ideòque rectæ, quod bonitatem, & malitiam, quæ est in materia necessaria, indicat, quòdque divinam voluntatem bona necessaria præcipientem, & mala vetantem, obediendique obligationem promulgat. Eam etiam penitus esse immutabilem ex materia constat, quæ cum honesta præcipitur, ita se habet, ut honesta semper sit, & cum turpis prohibetur, talis est, ut honesta nunquam esse possit. Itaque tam negativa quam affirmativa præcepta semper necessaria sunt, nec unquam circumstantiæ efficiunt, ut Jus naturale reddatur inutile, imprudens vel noxium, & ideo mutationi obnoxium. Prout enim est in homine, mutari non potest, quia intimè ei est infixum, & proprietatis quædam creaturæ rationalis, quæ ut esse rerum, postquam sunt, & quæ sunt, aliunde non pendet, & ita immutabilis est, ut nec Deus ipse, qui rem ipsam intuetur, & naturam uniuscujusque rei contemplatur, atque ei convenienter decernit, mutationem velle possit. Deus enim naturam rationalem summa Providentia condidit, & id eò etiam sibi finem delegit certum, ob quem singula institueret. Præterea invenit sapientissimè viam, qua posset ad eum finem pervenire; at si & finem invenit sibi, & viam, perducentem ad finem, sequitur necessariò, ad ea exequenda obligari immutabili sive voluntate, sive necessitate, nam dictu absurdum foret Deum & vidisse simul, & probasse, quod deinde aut non videret, aut non probaret; mutatio enim fieri non potest, nisi ut emendetur error, qui ab initio irrepsit, vel ut tollatur, quod postea inutile factum est. Id autem in Deo non finit ratio infinitæ sapientiæ, qua in condenda humana natura usus est. Apparet igitur Jus Naturæ, id est, aut finem, aut viam, quam sibi providentissimè, & sapientissimè, & invenit, & delegit Deus, mutari neque posse, neque debere, quod ex lumine naturali agnovit Seneca, (o) *non externa, inquit: cogunt Deos, sed sua illis in legem aeterna voluntas. Statuerunt, qua non mutarent; itaque non possunt videri facturi aliquid, quamvis volint: quia quidquid desinere non possunt, perseverare voluerunt: nec unquam primi consilii Deos pœnitet. Sine dubio stare illis, & disciscere in contrarium non licet; sed non ideo, quia vis sua illos in proposito tenet, ex imbecillitate permanent, sed quia non licet ab optimis aberrare; & sic ire decretum est. In prima autem illa constitutione cum universa dispoherent, etiam nostra viderunt, rationemque hominis habuerunt.*

Nec hoc omnipotentis vel libertati divinæ derogat. *Necesse est enim, ut scitè respondet idem Seneca (p) ei eadem placere, cui nisi optima placere non possunt. Nec ob hoc minus potens & liber est, ipse enim est necessitas sua.* Et ut paucis totum dicam, Jus Naturæ est perpetuum, & immutabile, quia Deus nun-

* Vid. Suarez. de Leg. l. 2. c. 12.

(o) L. 6. de Benef. c. 23.

(p) Lib. 1. nat. quæst.

quam injustus est. Talia igitur facere non posse, quæ pugnant cum sanctitate & Justitia, magis omnipotentia, quam imbecillitatis argumentum est. Unde inquit S. Augustinus: (q) *Quedam Deus non potest, quia omnipotens est.*

§. XLIV.

Quamdiu manet idem objectum,

Verè & propriè igitur Jus Naturæ non mutatur, quamdiu idem manet objectum. Etsi ergo Deus Abrahamo occisionem Isaaci, (r) Israelitis ablationem valorum aureorum & argenteorum (s) Prophetæ uxorem fornicariam permiserit (t) hæc tamen nullatenus Juris Naturæ mutationem probant: quidquid enim homo possidet, non vasa tantum aurea, sed ipsa quoque vita, non ejus est, sed Dei, quia ea omnia, uti pro lubitu dat, ita quoque repetit, *natura dedit, ait Cicero, (u) usuram vitam tanquam pecunia, nulla præsistuta die. Quid est igitur, quod querere, si repetis, cum vult, eam enim conditione accepèras.* Et deponens à depositario suum repetens, & alii concedens, utique Jus Naturæ mutare censei non potest. Hinc homicidium & furtum non est, quod vitæ & rerum supremo domino auctore sit.

Exemplum Osæ huc non pertinet, quia turpe per se non est scortatricem in uxorem ducere. (x) Probè igitur inter mutationem propriam, & impropiam seu materialem distinguere & sollicitè examinare oportet, an materia, circa quam Jus naturæ versatur, subjecta sit potestati humanæ vel saltem Divinæ, vel ne quidem huic. Quomodo ergo ex concessione Prophetæ Elisæi, Naamani post sui conversionem, interesse sacris idolatricis regis sui in templo Remmon licere potuit? (y) Nisi dicamus humillimam peccati deprecationem ibi contineri.

§. XLV.

Et circumstantia non mutantur.

Errant quoque ii, qui, dum legem universaliter positam aut certos homines, aut certis in circumstantiis, aut certo denique tempore non obligare intelligunt, inde statim concludunt, mutationem supervenisse per Epikiam, seu legis naturalis emendationem. Quodquod quàm falsum sit, ex solida legum naturalium cognitione colligi potest: quibus ritè intellectis facile apparebit, leges eas pro iis casibus nunquam obligasse, aut Jus concessisse. Itaque cum furioso gladius non redditur, cum latro occiditur, non mutatur Jus naturale, quod jubet reddere depositum, & vetat proximi cædem. Legis enim præceptum est, & semper fuit, nullo pacto mutabile, ut depositum justè, sine alieno periculo, & injuria reddatur: aut propria auctoritate, & injustè cædes non committatur. Nam circumstantiæ efficiunt, ut hæc particularia lege generali non contineantur, cum lex naturalis sit, furioso gladium non reddere. (z) Nec rarò evenit, ut officia, quæ Deo, nobis ipsis & proximo debemus, uno eodémque tempore occurrant, & inter se quasi collidantur, ita ut unum alteri inferioris scilicet ordinis superiori sine ulla legis naturalis mutatione cedat, necesse sit. Rectæ interpretationis regulas superveniente legum collisione, & urgente casu necessitatis infra suppeditabimus.

CAPUT

(q) De C. D. l. 1. c. 10.

(r) Genes. 22. v. 2.

(s) Exod. 3.

(t) Osæ 1. v. 2.

(u) Tuscul. quæst. 1. 1. c. 39.

(x) Conf. omnino Clar. D. Stapff. de J. N. & G. C. 1. §. n. 30. & seqq.

(y) Reg. 4. c. 5. v. 17. 18.

(z) Vid. Suarez. l. 2. c. 16.

C A P U T VI.

De Intellectu humano primo actionum humanarum
Principio.

§. I.

Ut actio humana ritè edatur, intellectus pralucere debet,



Quandoquidem voluntas cæca animæ potentia, juxta vulgatum illud nihil volitum, nisi cognitum, in aliquod objectum amore, vel odio ferri non potest, nisi intellectus praluceat, & id prius sub ratione boni, vel mali offeratur, & ab eo, ut tale cognoscatur: meritò nobis de actuum humanarum bonitate, & malitia, justitia, & injustitia agentibus initium ab intellectu erit faciendum. Hoc enim cognoscit homo, se non sibi soli tantum, nec propter se, sed & ad mutuam societatem natum esse, quod inter alia præcipuè sermocinandi facultas evincit: hanc ipsam autem societatem conditam esse ad finem aliquem eminentiorem, & gloriam auctoris sui. Et ideo rationis & intellectus ipsi concessus est usus, ut non tantum ad fines hujus creatum se esse, sed & illa, quæ finibus istis extra se constitutis, & se superioribus conveniant, dignoscat, & illa agendo, vel omitendo laudem, vel vituperium, pœnam, vel præmium mereri: bonus, malusve, nocens, vel innocens judicari possit.

§. II.

Est scilicet homini innata quedam animi vis bonum & malum dignoscendi,

PArùm autem solliciti hic sumus, an dentur ideæ homini innatæ, quas Joannes Lockius (a) cum Regula seu principio moralis honestatis humanæ menti indito commiscere, & utrumque magna animi contentione negare, & pernegare contendit.

Quidquid de ideis innatis sit, certum tamen est, unicuique hominum certam quandam animi vim, vigorémque insitum, & connatum esse; quo rerum propè infinitarum causæ, effectus, relationes, affectiones, proprietates, veritates, & falsitates, quidve bonum, vel malum, justum, vel injustum humanis actionibus insit, facile dignosci possunt: *Hinc nulla est natio, ut ore Tullii loquar: (b) quæ non comitatem, non benignitatem, non gratum animum, & beneficii memorem diligit, quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aversetur, non oderit.* Ex istis, qui rapto vivunt, cum Seneca (c) mihi quærere liceat, an ad illa, quæ latrociniiis, & furtis consequuntur, malint ratione bona pervenire? optabit ille, cui grassari, & transeuntes percutere quæstus est, potiùs illa invenire, quàm eripere. *Neminem invenies, qui non nequitia præmio, sinè nequitia, frui malit. Maximum hoc habemus naturæ meritum, quod virtus in omnium animos lumen suum præmittit,*
Y
etiam

(a) L. 1. c. 2. de Intell. hum.

(b) De leg. l. 1. c. 2.

(c) De benef. l. 4. c. 17.

etiam qui non sequuntur vident. Edicat nunc Lockius, unde tam dispar de actionum bonitate & malitia Judicium? nisi ex uniformi quadam & indelebili menti humanæ congenita norma, qua gentes legem non habentes, sibi ipsi sunt lex. Vim judicatricem, ait Grotius, (d) humanis actibus ducem Deus dedit, qua contempta animus obbrutescit. (e)

§. III.

Et hæc animi facultas percipiendi, & ratiocinandi intellectus vocatur,

MISSIS aliis subtilibus magis, quàm utilibus, saltem huc non pertinentibus quæstionibus de intellectu, nobis observasse sufficiat, id quod & omnes fateantur oportet: esse in homine non percipiendi modò, sed judicandi etiam, & ratiocinandi facultatem, ut ad eò intellectus nobis nihil aliud sit, quàm *facultas mensis res distinctè percipiendi, perceptas dijudicandi, de iisque rectè ratiocinandi.* Percipiuntur rerum ideæ ex sensationibus, vel immediatè, vel mediante abstractione. *Judicium* ideas rerum perceptas inter se confert, & ubi earum convenientiam, aut disconvenientiam consideratione habita, percipit, aliquid affirmat, vel negat. Et ratiocinatio denique unum judicium ex pluribus aliis probat, vel improbat; ut cum cogito: auctor mundi est colendus: Deus est auctor mundi, ergo Deus est colendus.

§. IV.

Qui semper idem & in se rectus, propter varium tamen ratiocinandi modum, varias etiam sortitur denominationes.

QUAMVIS autem pro certo statuendum sit, intellectui nostro, naturalem inesse rectitudinem, quæ debita attentione adhibita, circa res morales ratiocinando nos decipi non sinit: hæc tamen ratiocinatio ob diversum, & multiplicem ad actiones humanas respectum, diversas etiam sortitur appellationes. Et primò quidem ob ipsorum principiorum, quibus innitur diversitatem, non est uniusmodi. Hæc enim, si firma & extra omnem dubitationem posita sunt: *scientiam*, si verosimilia, & probabilia tantum *opinionem* pariunt. Et ideo scientia rectè dicitur *cognitio rei certa & evidens per causam*: opinio autem *actus, quo assentimur objecto cum formidine oppositi.* Quandoque loco principii est auctoritas aut *DEI* aliquid revelantis, aut *hominum*, aliquid asserentium, unde *fides* enascitur, aut *divina*, aut *humana*. Ex opinione proveniunt rursùs *conjectura*, & *presumptiones*, quando ex signis communibus probabili ratione conclusionem deducimus, & aliquid pro vero ante legitimam probationem assumimus. Præterea quando rationes inimus, si tunc actio aliqua suscipienda, an omittenda, *consultatio* vocatur. Ratiocinationis autem conclusio, si approbatio voluntatis accesserit, *Decreti* nomine venit; & cum electione unius, & rejectione alterius sententiæ conjuncta esse solet.

Qui autem singulari rectè consultandi facultate pollet, *prudens* audit. Est autem *Prudentia* definiente Aristotele *verus habitus agendi secundum rationem circa ea, quæ homini bona, aut mala sunt.* Brevius apud S. Augustinum (f) dicitur *rerum expetendarum, & fugiendarum scientia*, quæ tota sua vigilantia bona discernit à malis, ut in illis appetendis, istisque vitandis nullus error obrepit.

Est

(d) L. 2. c. 23. §. 2.

(e) Confer. omninò Celeb. Muratori Philoſ. Mor. c. 7.

(f) De Civ. Dei l. 19. c. 4.

Est virtus hæc Princeps, omnis vitæ magistra, & moderatrix genere quidem una, vixque à recta ratione distincta, specie tamen multiplex, duabus præcipuè partibus, ut vocant, subjectivis constans, quarum una *communis* dici potest, quæ præcepta agendi communia omnis generis, conditionis, & status hominibus suggerit, eorumque mores moderatur. Et *specialis*, quæ particulares regulas cuique vitæ civilis generi convenientes subministrat, cujus tot sunt partes, quot vitæ genera, & humanæ societatis species, inter quas sicut eminent societas civilis, ita etiam meritò primum locum obtinet *Prudentia civilis* seu *politica*. Omnis autem Prudentia versatur tantùm circa ea, quæ media dicimus, quæque consequendis finibus idonea sunt: virtutibus enim fines non præscribit, utpote, quos jam à natura præstitutos habent, sed illius est, quòd hic & nunc seu hoc in loco & tempore hisque in circumstantiis faciendum, aut fugiendum sit, decernere.

Quod ut obtineat prudentia, tres habitus ei subserviunt, quales sunt *Enbulia*, *Synesis*, *Gnome*, de quibus & toto hoc argumento videsis latissimè tractantem Bernardum Gletle. (g) Cui omninò jungendus Cicero, (h) qui exquisitissimas prudentiæ Regulas tradit.

§. V.

Et de actionis justitia vel injustitia secundum legem judicans conscientia appellatur, qua describitur,

Intellectus denique cognitione legum imbutus de actionum justitia, vel injustitia judicans, & ratiocinans: & utrum ad legis normam exactæ sint, examinans; peculiari nomine *conscientia* vocatur, cui vocabulo quasi novo, & nec antiquo latio, nec sacris literis noto, finè ratione stomachatur Puffendorffius, (i) cùm tamen Apostolus (k) de *conscientia testimonium reddente* luculenter testetur: Et Cicero (l) latii Princeps *conscientia magnam vim in utramque partem tribuat, ut neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarunt*. Et alibi (m) tam grave *conscientia* pondus esse ait, ut eâ sublata omnia jaceant. Est ergo conscientia in genere nihil aliud, quàm *judicium intellectus immediatè versans circa morales nostras actiones, dictans, quid sit faciendum, quidve fugiendum; & id, quod fecimus, an fuerit consentaneum, an verò rectæ rationi dissentaneum*. (n) Est scilicet ratiocinatio practica concludens, & dictans, hanc vel illam actionem legi esse con-vel dissentaneam, adeoque honestam vel turpem, eoque nomine amplectendam aut fugiendam.

Conscientia ergo Syllogismum imitatur, cujus prima propositio est lex, quam altera applicat ad factum vel faciendum, & sententia in conclusione sequitur. Quæ vel actionem perpetrandam antecedit, vel jam perpetratam subsequitur: unde conscientia *antecedens*, & *consequens* nuncupatur, & utraque *bona* vel *mala* audit, prout scilicet sententia vel *absolvit*, vel *condemnat*. Atque hinc intelligitur quo pacto conscientiæ modò libri & regulæ, interdum testis & Judicis, quandoque etiam tortoris prædicata convenient: simulque patet minùs accuratè illos loqui, qui conscientiam pro norma actionum humanarum venditant, aut illi, legem tantùm ad factum applicanti obligandi vim tribuunt.

Y 2

§. VI.

(g) In Jurispr. fund. l. 1. Tit. 1. §. 9. per tot.

(h) L. 1. de officiis c. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 39. 41.

(i) L. 1. c. 4. in fin.

(k) 2. ad Rom. v. 15.

(l) Orat. pro milone c. 17. jung. pro cluent. c. 32.

(m) De Nat. Deorum l. 3. c. 25.

(n) Franc. Bardi in Discept. & conclus. Moral. discept. 1. c. 2. n. 3.

§. VI.

Et dividitur in certam, probabilem erroneam, & dubiam.

Porro conscientia ex diversis ratiocinandi modis variè dispescitur. Cùm enim diſtaminè pratico conscientia de honestate, vel inhonestate operationis præluceat soleat iudicium speculativum de statu objecti : hoc autem iudicium vel *rectum*, vel *erroneum*, vel *dubium* sit : hinc conscientia rectè dividitur in *rectam*, *erroneam*, & *dubiam*.

Illà iterum subdividitur in *certam*, & *probabilem*. *Certa* erit, si argumentis innitatur apodicticis & indubitatis, ac objecto tanta cum firmitate adhæreat, ut citra omnem oppositi formidinem censeat, rem aliter se habere non posse. Si verò argumentis tantùm nitatur topicis, adeoque objecto, gravi licet & prudenti ex motivo, cum formidine tamen oppositi assentiatur, *recta* quidem erit, sed tantùm probabilis. *Probabile* enim juxta Ciceronem (o) est, quod est *verisimile*, sive id *falsum* sit, sive *verum*.

Prorsus ut in Dialecticis Syllogismus vel verus est, vel falsus : Verus vel certus & apodicticus, vel probabilis, sive topicus : uterque tamen verus, utut alter ex scientia, alter ex opinione oriatur. Unde in maximo errore versantur, qui eam conscientiam vocant, quæ erronea est, cùm omnis conscientia probabilis etiam recta esse, & determinatum assensum præbere debeat. *Conscientiam*, inquit Puffendorffius : (p) *probabilem à recta differre arbitramur non quoad ipsam persuasionis veritatem, sed quoad artificiosa demonstrationis in subiecto defectum*. Quod simili ab artificibus desumpto illustrat.

Quando autem falsum pro vero assumitur ; & id, quod probabile nobis videtur, secus se habet, nascitur error, & inde *conscientia erronea* ; quæ dicat, esse faciendum, quod non est : vel non esse faciendum, quod faciendum est, vel esse faciendum diverso modo ab eo, quo faciendum, vel non, faciendum est.

Si autem mens nostra ob paria rationum pondera in neutram partem propendat, & iudicium ita fluctuet, ut assensum suum circa utramque contradictionis partem suspendat, ac non uni, quàm alteri parti magis adhæreat : *incerta*, & *dubia* appellatur *conscientia*. Si verò hæc mentis fluctuatio levibus nitatur fundamentis, & anxia formido iudicium intellectus comitetur, ne fortè quid mali actioni bonæ vel indifferenti subsit, *scrupulosa* dici solet.

§. VII.

Contra conscientiam certam agendo gravissimè peccatur.

Circa conscientiam certam res plana est, de qua hæc traditur regula : (q) quòd omnis actio spontanea, quæ fit contra eandem, & omnis ommissio actionis, quam eadem necessariam esse dicat, sit peccatum, & quidem eo gravius, quo liquidius homo officium suum intelligebat, ut adeo ejus transgressio ingentem legislatoris contemptum, animique malitiam arguat.

§. VIII.

Conscientia probabilis vel est innixa rationibus rei internis, & tunc dicitur intrinsecè probabilis.

DE conscientia probabili majores se offerunt difficultates. Hinc etiam accuratius procedendum, & primò omnium animadvertendum erit : posse nos rei alicui assentiri, vel ex principiis ejus propriis & internis ;
aut

(o) L. 1. de invent.

(p) L. 1. c. 3. §. 5.

(q) Laymannus Theol. Moral. Tr. 1. c. 4. §. 1.

aut ex principiis communibus, & extrinsecus assumptis. Si utrumque assensum comitatur formido oppositi, nascitur *probabilitas*, & quidem ex priore *intrinseca*: ex posteriore *extrinseca*. *Intrinseca* est, quæ nititur ratione, & motivo gravis momenti, tali videlicet, quod ex ipsa re petitum virum cordatum, & prudentem ad assensum permovere potest, eamque præferret veritatis speciem, ut plerumque non fallat: atque tanta movendi vi polleat, ut præponderet motivis, quæ falsitatem & errorem plerumque invehunt. Et quò gravius hoc motivum erit, eo probabilior etiam erit opinio.

Opinionis ergo verè intrinsecè, & practicè probabilis signa, & conditiones sunt, si sit conformis, vel non dissona. I. Sacris voluminibus. II. Oecumenicis conciliis: III. Christi, & Apostolorum traditionibus: IV. Ecclesiæ consuetudini: V. Romanorum Pontificum decretis, & constitutionibus, VI. Voci, & calamo sanctorum Patrum, & Ecclesiæ doctorum unanimi: & deinceps VII. Concordi Theologorum in diversis mundi plagis docentium, & scribentium conspirationi, & consensioni. Et si his adversetur opinio, tanquam improbabilis meritò erit rejicienda.

§. IX.

Vel auctoritate Doctorum suffulta est, & tunc extrinseca probabilitas nascitur.

Probabilitas *extrinseca* desumitur ab auctoritate, adeoque opinio ab extrinseco probabilis illa dicitur, quàm defendit auctor gravis & probatæ fidei, sive omni exceptione major.

Vir autem omni exceptione major ille demum vocari meretur. I. Cujus doctrinæ rectæ rationi sunt consentaneæ, nec contra principium certum impingunt. Nam rationi auctoritas sive dein hominis sit, sive legis ab homine constitutæ cedat oportet, & opinioni apertè improbabili auctoritas constare non potest, quia regula, & mensura actuum humanorum est ratio recta. II. Qui opinionibus suis non substernit fundamentum leve, æquivocum, sophisticum, aut paralogisticum. III. Qui ubique in sententiis, & opinionibus suis judicium sanum, ac defœcatum præferret, adeoque in sententias novas, & paradoxas non punit, neque facillè opiniones amplectitur, gravium aliorum virorum judicio temerarias: contra talem enim stat præsumptio, quòd illi etiam opinioni, quàm tradit temeraria fiducia, ac ex intemperie quadam ingenii calculum suum adjecerit. IV. Denique, qui merita utriusque sententiæ diligenter examinat, & adversis percipiendis rationibus justis judiciis aures præbet. *Melius*, verba sunt Philosophi, (r) *se habere necesse est illum ad judicandum, qui tanquam adversarios, omnes utrinque rationes oppositas audit.* Non enim aliàs præsumendum est, sanum, ac prudens judicium ab eo fuisse latum, de quo non constat, quod merita utriusque causæ diligenter expenderit. Hinc ii, qui merissimas summas scribunt, & alios auctores in compendia contrahunt, auctoritatem extrinsecam sententiis conciliare haud poterunt, quia rationes utriusque partis non ponderant, adeoque merito dubites, an vim intimam causæ penetraverint. (s)

§. X.

Abit conscientia probabilis iterum in tutiorem, vel minùs tutam.

Non nulli subdividere solent conscientiam probabilem in *tutiorem* & *minùs tutam*. *Tutiorem* vocant, quæ longius abest à periculo peccandi, stans pro obligatione & lege contra libertatem. *Minùs tuta*, quæ militat

Z

(r) Arist. 3. Metaphy.

(s) Vid. P. Cardenas Cris. Teolog. part. 1. disp. 11. & part. 3. disp. 57. ubi de probabilitate extrinseca solidè ac eruditè disserit.

litat pro libertate contra legem, & propiori periculo peccandi agentem exponit. Ut ecce altercantur authores: an testamentum solennitatibus destitutum, obligationem in foro interno producat? Utraque sententia suis motivis non caret: affirmativam tamen, quæ stat pro obligatione & lege, tutiorem asserunt, eoque nomine amplectendam censent: sive enim ex testamento tali nascatur obligatio, sive non, tutius agitur, si legata in eodem relicta præstentur. Contra, si juxta opinionem contrariam legatum non solvas, adeo securè non agis: cum enim sit probabile, obligationem esse natam, hujus obligationis violandæ periculo te exponis.

§. XI.

Licet autem operari cum conscientia non tantum intrinsecè probabili,

His prænotatis omnino dicendum est cum communissima: (s) opinionem verè & intrinsecè probabilem esse regulam actionis humanæ honestæ atque operantem practicè, & moraliter securum reddere de suæ actionis honestate, quòd scilicet sic operando non peccet. Quia quidquid rectè & prudenter creditur licitum, etiã licitè fit, quandoquidem rectum & prudens judicium sequens nemo peccat: opinio autem verè & intrinsecè probabilis, nixa scilicet motivo rationabili, etsi speculativè incerta sit, rectè tamen & prudenter judicat aliquid esse licitum, & conscientia inde formata est verus actus prudentiæ, etsi enim cum suo motivo maneat speculativè incerta, est tamen certa practicè.

Fundamentum enim operationis nostræ, hoc in casu non est opinio illa, quæ sequitur ex ratione probabili, sed potiùs judicium intellectus, quod in opinione ista fundatum est, quatenùs prudentia nimirum judicat, rectè id faciendum esse, quod certò est probabile: nam quævis opinio certò probabilis fundat dictamen practicè, & moraliter certum de honestate operationis, atque adeo sufficit ad honestè operandum in quavis materia, si enim judicium inculpabiliter erroneum ideo fundat dictamen moraliter certum de honestate operationis; quia ipso lumine naturæ certum videtur, honestè operari, si inculpabiliter existimem, operationem meam esse honestam, ac invincibiliter ignorem motiva contraria, quorum notitia inflecterem ad errorem deponendum: tunc etiam judicium certò probabile fundat dictamen moraliter certum de honestate operationis, quia ipso lumine naturæ certum est me honestè operari, si prudenter censeam, operationem meam esse honestam, ac invincibiliter ignorem motiva contraria, quorum notitia inflecterem ad ferendum judicium, quod opinio, quam censeo probabilem, non sit probabilis. Nam ad virtutem prudentiæ non requiritur, ut ex parte objecti in dirigendo semper sit vera, & certa speculativè, cum in moralibus ob innumeras circumstantias particulares vix unquam possit haberi veritas, & certitudo speculativa, sed sufficit, quòd sit vera, & certa practicè ex parte motivi probabilis, & rationalis: alioquin vix unquam haberemus conscientiam quietam, dum tamen maxima pars mortalium conscientia probabili regitur.

§. XII.

Sed etiam extrinsecè probabili,

Nec aliud statuendum esse videtur circa opinionem auctoritate Doctorum munitam, & extrinsecè, ut ajunt tantum probabilem. Quamvis enim momento Tullio (u) non auctores in disputando, sed rationum momenta

(s) Bernard. Gletle in Jurispr. Fund. l. 1. Tit. 2. §. 5. n. 33.

(u) De Nat. Deor. l. 1.

menea sint quærenda : magnam tamen probabilitatis intrinsecæ præsumptionem parit auctoritas Doctorum gravium , requisitis prius recensitis suffulta , quam , qui sequitur , prudenter agit ; quia prudenter censet , sententiam talem niti motivo gravi , & prudenti , quia Doctores graves non alias , quàm gravi fundamento subnixas sententias docere solent.

Hoc in sensu Aristoteles (x) probabilia esse dixit , quæ videntur omnibus , aut pluribus , aut sapientibus : & his vel omnibus , vel pluribus , vel spectatissimis . Sicut autem in facti quæstionibus , id pro vero habetur , unde plures , maximèque idonei stant testes : ita etiam sequendæ erunt sententiæ , quæ plurimis , præstantissimisque nituntur auctoribus . Neque tamen ex multitudine auctorum , ut præcipit Imperator , (y) *quod melius , & æquius est , judicatore .* eam possit unius forsitan , & deterioris sententia , & multos , & majores aliqua in parte superiore : præsertim si in paucioribus plura insint ingenii & doctrinæ lumina , si major in iis usus , si major sanctitas eluceat , melior enim omni arte certior : & bonos sibi ipsis & aliis perpendiculum esse , vivendi & docendi scitè à quodam scriptum esse memini . Hoc autem quàm maximè in homine indocto , rudi & simplici procedit . Cùm enim indocti , & rudes consilia sua dubia , & facta non suo judicio , sed sapientum hominum trutinâ examinare soleant , ac debeant , satis suo faciunt officio , si illa prudentibus viris , vel iis , qui tales à peritis habentur , permittant . Licere enim in disciplina morum homini indocto , & rudi unius alicujus viri virtutis doctrinæ & pietatis laude clari opinionem sequi , recta ratio dicitur . Et S. Thomas (z) quædam in humanis adeò obscura esse fatetur , ut ad eorum judicium requiratur multa consideratio multarum circumstantiarum , quas considerare diligenter non est cujuslibet , sed sapientum .

Ex quibus pellucet insignis calumnia Puffendorffii (a) & plurium aliorum . A catholicorum , quam nostris caluum conscientia scriptoribus auctoritate affingere non dubitant , quasi solennis horum doctrinæ foret , auctoritatem unius Doctoris , etiam à rationibus destituti , & à quo cæteri dissentiant , ad extrinsecam opinionis probabilitatem sufficere . Si hoc dicerent , quòd unusquisque facillè credat , quod appetit , & propensio voluntatis auctoritatem vitiis quærat , & quod malum est , bonum , aut bono proximum esse suadeat , haberent S. Thomam & S. Augustinum consentientes .

S. XIII.

Multi contendunt etiam tunc opinionem probabilem sequi licitum esse , quando concurrat cum probabiliore .

AN autem in concursu opinionum , quarum una probabilior est altera , minùs tamen probabilem amplecti & sequi liceat ? Hæc intra muros certatur & extra . Affirmativa passim invaluit : cùm enim opinio certò probabilis utpote motivo gravi & prudenti subnixa non obstante majore probabilitate opinionis oppositæ , suam probabilitatem non amittat : atque adeò dictamen moraliter certum honestæ operationis maneat , consequenter intellectus ad assensum se inclinari experiatur , quivis homo Jure naturæ plenus , & perfectus operationum suarum dominus , vi naturalis libertatis talem actum certo jure non prohibitum , adeoque honestum exercere poterit , implicat enim dari Jus certum prohibens , si sit probabile , nullum dari Jus prohibens , quia implicat unum membrum contradictionis esse probabile , si op-

Z 2

positum

(x) L. Top. c. 1.

(y) L. 1. Cod. de vet. jur. Enocl.

(z) I. 2. q. 100. a. 1.

(a) L. 1. c. 3. §. 5.

positum sit certum. Nam esto, quod probabilius sit, dari Jus prohibens, non tamen est certum dari Jus prohibens, quia nuda probabilitas certitudinem non facit, cum omnis probabilitas ex natura sua involvat formidinem oppositi: consequenter hæc lex prohibens stante incertitudine mihi sufficienter non promulgata, evidenter etiam non obligat, quia lex non satis nota & promulgata non potest esse regula actionis moralis.

Deinde lex, quæ frequentissimis transgressionibus præmeditatis & reflexis occasionem moraliter certam præbeat, è numero legum merito expungenda est, quia felicitatem homini naturaliter debitam impedit, & plus oneris, quam commodi habet. Hoc autem eveniat, oportet, si lex existat, quæ relicta opinione tantum probabili, probabiliori simpliciter adhærendum esse diceret. Si enim homines scirent, ad sectanda probabiliora se obstringi, subito dubio tenerentur omni cura inquirere in momenta utriusque causæ. Cumque ingens sit humani ingenii imbecillitas; inevitabiliter inciderent in summas anxietates, & perplexitates, adeoque plerique ob molestiam oneris, annexaque incommoda desponderent animum. Quin etiam cognito motivorum excessu propter nimiam duritiem sententiæ insuper haberent opinionem probabiliorum, & fragilitati humanæ succumberent. Hinc obligatio talis legis tam duræ stante præsertim incertitudine promulgationis humano generi imponi non debet. *

§. XIV.

Dummodo & speculative & practice sit probabilis,

ET cum intellectus noster ferri possit in aliquod objectum secundum se præcisè spectatum, præcindendo à circumstantiis aliunde advenientibus, illudque ut sic probabiliter judicare, esse rationi consentaneum, sed quatenus in praxim redigitur ob aliquam circumstantiam, quæ semper, aut ferè semper comitari solet praxim ipsam, judicare esse rationi dissentaneum. Igitur dari potest opinio, quæ consideratis rationibus in se præcisè adeoque contemplativè spectatis probabilitatis speciem quidem præfert, activè autem & practice probabilis non est. Toties autem opinio speculative probabilis, ad praxim redigi nec debet, nec potest, quoties aut obligatio urget melius inquirendi in veritatem, & statum objecti, vel usus opinionis per votum, juramentum, pactum, præceptum; vel simile principium redditur inhonestus. ** Sic licet

* Ita jam pridem docuerunt Bartholomæus Medina, Sylvester Priéras, Jo. Bapt. Haquet, Lud. Lopez, Franc. Victoria, Did. Alvarez, omnes ex ordine S. Dominici: Malderus, Isambertus, du Valius, Gamachius celebres Sorbonæ Professores, & complures alii omnium nationum, & Religionum viri, quorum catalogum texere meum non est. Hos vel ideo nominare volui, ut pateat, hanc sententiam nec novam, nec Doctoribus Soc. Jes. propriam esse. Quod tamen Paschalius in suis litteris provincialibus hunc in finem editis, innumeris convitiis, & calumniis refertis Christiano orbi persuadere omnibus nervis contendit, ut mirum non sit, has literas provinciales Aquis sextiis sententia Parlamenti V. Id. Febr. anno 1657. lata ad subeundas infames carnificis flammam fuisse condemnatas, si testis minimè suspecto Petro Bælio in dictionario Hist. crit. sub vocabulo Paschal. fidem adhibemus.

** Hoc ipsum est, quod Innocentius XI. S. Pont. in quatuor sequentibus propositionibus damnavit. I. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabilis tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* II. *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* III. *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenuis, modo à probabilitate sive intrinseca non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* IV. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabilis.*

licet iudex merita utriusque litigantis censeat probabilia, secundum tamen probabiliora ex pacto, quo Reipublicæ ad justitiam omni meliore modo administrandam obstringitur, sententiam ferre debet. Eodem modo Medicus ægrotanti ex natura negotii medicinam magis salutarem applicare tenetur, quia ad hunc finem ad eum vocatus esse præsumi debet. Sic etiam ob jus solum probabile non possum tacita compensatione uti, quia jus certum, quod alter in bonis suis obtinet, evidenter præponderat juri meo incerto, ut adeo probabilitas opinionis meæ non possit esse norma, quæ iudicium meum activum ad suscipiendam actionem practicè dirigat, quia principium iure naturæ certum est, & immutabile; ob jus incertum alteri damnum certum inferri non posse. Hinc Regi ob jus solum probabile alterum armis cogere non licet, ut de possessione decedat.

§. XV.

Contrarium tamen simplicitati Juris Naturalis videtur esse conformius.

QUAMVIS autem hæc ita se habeant, nescio tamen an non simplicitati juris naturæ conformius sit, asserere opinionem probabiliorem in conflictu præferendam esse minus probabili. Quoniam enim à veritate opinio habet secundum Aristotem: *(b) ut recta sit: idcirco quò proprior opinio est veritati, eò etiam eris rectior, & ab errandi periculo remotior*: nullum autem mihi videtur dubium, quin suapte natura opinio probabilior veritati sit propinquior, quàm minus probabilis, cum efficaciora, & majora veritatis motiva & certiora indicia habere debeat; eo ipso quòd sit probabilior. Est autem contra naturam electionis, & Prudentiæ regulas voluntate, & non ratione eligere minus bonum, omisso majore: majus autem utique bonum est magis verisimile & probabile, quàm minus verisimile & minus probabile. Et parum ad rem facit, si dicas opinionem probabiliorem posse esse falsam, & minus probabilem veram; hoc enim quamvis contingere possit, sufficere tamen debet hic & nunc, quod opinio videatur probabilior: fundamentum enim operationis nostræ hoc in casu non est opinio illa, quæ sequitur ex ratione probabili, sed potius iudicium intellectus, quod in opinione ista fundatum est, quatenus prudentia nimirum iudicat, rectè id faciendum esse, quod maximè est probabile, id est, quod ratio maximè dicat faciendum esse. Et sanè, intellectum, qui natura sua, quantum in se est, verum appetit, bilancis instar in eam partem inclinari necesse est, in quam efficacioribus rationum momentis, & gravioribus motivorum ponderibus quasi rapitur, & pertrahitur. Cur ergo non assentiatur opinioni probabiliori, efficacioribus rationibus munitæ, relicta minus probabili, quàm tanquam minus habentem invenit, & iudicat. Quemadmodum enim iudex à religione officii, vel imprudenter, vel sceleratè declinaret, si contrariis testibus auditis eorum testimonium, quod minus verisimile esset, sequi vellet, neque ea re injuriam levem veritati, justitiæ & litigantium causæ inferret: sic non minorem contumeliam hominis ratio veritati imponit, si pro tribunali sedens ipsius veritatis, postquam contraria de eadem re percepit argumenta, verisimilioribus minus verisimilia præfert: & quis ægrotus adeo propriæ suæ conservationis oblitus est, ut insuper habita medicinâ, quam sanitati recuperandæ magis conducibilem esse iudicat, præligat minus conducibilem? quanto minus in materia morum electio minus veri præ magis vero erit arbitraria, ubi culpa vacare non videtur sibi obstruere vias indagandæ veritatis. Quod ille facit, qui rejecto magis probabili, in minus probabile

A a

ruit;

(b) L. 6. Ethicor. c. 10.

ruit: cùm enim iisdem conjecturis ùt Aristoteles (c) docet: assequamur verisimile, quibus ad veritatem pervenimus, excusari vix potest, certiores conjecturas veritatis contemnere, ùt minùs certas captemus. Et quamvis minor probabilitas in se præcisè spectata per majorem probabilitatem omnino non auferatur, considerata tamen cum suis circumstantiis, quatenùs nimirum major probabilitas concurrat, speculativa tantùm remanere censenda est, quæ toties ad praxin reduci non potest, quoties major obligatio v. g. Religionis, pacti, voti, Juramenti, vel similis præcepti & circumstantiæ urget, uti omnes fatentur, & paulò antè per Exempla Judicis dictantis sententiam, Medici ægrum curantis, cujuslibet privati tacita compensatione uti, & Regis bellum inferre volentis comprobatum dedimus: quorum omnium alia ratio esse non potest, quàm, ùt tertii damnum, quantum in nobis est, omni meliore modo evitemus & avertemus. Si autem ratio damni à tertio avertendi nos ad amplectendam opinionem probabiliorem obstringat: non intelligo, cur non eadem obligatio respectu nostri proprii individui eò magis nos obstrictos tenere debeat, quò majùs subest periculum amittendi summi boni, & beatitudinis æternæ, quò gravius & irreparabilius damnum excogitari nequit. Et cùm hujus legis obligatio per rectæ rationis dictamen, divinum illud Juris naturalis præconem, omnibus satis perspecta, & promulgata sit, neque obscura neque dura vel scrupulis obnoxia esse poterit, modo quis animum benè advertat, & à præjudiciis immunem afferat, tantàmque in rationum hinc inde occurrentium examine diligentiam adhibeat, quantam cujuslibet ingenium, conditio, aliæque circumstantiæ adhibere permittunt. Cui enim Deus plùs dedit, plùs exiget ab eo; neque etiam facienti quantum in se est, suam denegabit gratiam. Ille ergo legem adimplevisse censendus erit, qui quantum per ingenii dotes licet, juxta suum concipiendi modulum, ritè perpensis omnibus rationum momentis, & rerum circumstantiis illam in operando sequetur opinionem, quæ hic & nunc ipsi probabilior apparebit. quod si facis, quod verè sentis, non tam res ipsa, quàm tua te conscientia, & bona fides excusabit. Hinc etiam non absolutam majorem probabilitatem exigimus, sed respectivam omnino sensu modo explicato sufficere judicamus. Aliud argumentum ex periculo peccandi universali petitum subministrat Eminentissimus Sfondrati, ubi postquam (d) doctrinam de licita opinionum minùs probabilium praxi, cum multorum magnorùmque malorum periculo conjunctam esse practicè & speculativè multis ostendere contendit, denique (e) sic ratiocinatur: *ipsa principia, si consideres, quibus probabiles sententia nituntur, periculi plena sunt: certum est enim & toto orbe Theologico receptum axioma, nunquam licere cum dubio pratico operari: quia sic operari, est periculo peccati, hoc est gravissimi mali, semet exponere: at verò opinio minùs probabilis ex natura opinionis dubia est, cum opinio certitudinem excludat; & ita dubium necessariò involvat: nec minùs dubia ex natura principiorum, quibus subnititur, cùm omnia illa non solum nulla certa ratione probentur, sed etiam à viris & numero, & pietate, & doctrina quàm plurimis refellantur, & optimis in contrarium argumentis enerventur: non ergo sunt certa, quæ à tam multis & tam magnis & tam acriter falsitatis postulantur; si igitur opinionum minùs probabilium praxis certitudinem non habet, ergo dubia est, si dubia, ergo periculo gravissimi mali exposita, si periculo exposita, tam non possunt agere prudenter, qui illas sectantur, quàm qui cum periculo naufragii mare transmittunt, aut cum periculo*

(c) 1. Rhet. c. 2.

(d) In eruditissima dissertatione de lege in præsumptione fundata edita Salisburgi an. 1681. quo doctissimus hic vir Professore Canonum ibi adhuc egit.

(e) §. 5. n. 8.

lo latrocinii sylvam prædonibus infamem ingrediuntur. Multi securitatem, fateor, pollicentur, sed totidem, aut etiam plures, si illuc iter feceris, cladem, & mortem inclamant, & tamen, cum possis omnium sententia securissimum iter ingredi, si ambiguum eligis, & periculis infestum, quis non continuo magnam hanc imprudentiam esse dixerit? quod si respondeas, tibi certum esse, quod aliis tam multis, tamque expertis dubium, falsumque apparet, aliud dicis, quam sentis, cum certum esse non possit, quod à quàm plurimis, magnoque jure negatur, & arguitur; quemadmodum nemo certum dixerit, Papam esse mortuum, si trecenti hoc asserant, negent verò sexcenti. Quod si dicis, quod verè sentis, non tam res ipsa, quam tua te conscientia & bona fides excusat. Hæc pro libertate academica, & instituti mei ratione dicta sufficiant. *

§. XVI.

In concursu autem opinionum verè, & aequè probabilium non semper tutiorem sequi oportet.

EX hucusque dictis minimè tamen inferre licet, in concursu opinionum æquè probabilium, posito quod omne dubium absit, semper tutiorem esse eligendam: opinio enim certò, & verè probabilis, eo ipso etiam certò est tuta. Nec etiam ea Doctorum sententia tutior esse censi debet, quorum est tutius dictum, sed quorum certiora sunt argumenta: & securitas facti, à securitate opinionis multum distat. Hinc si de peccato quæstio tractatur, non statim peccatum esse dicentium tutior est opinio, nisi vel idonea auctoritate, vel valida ratione firmetur. Contingere enim potest, ut minùs tuta sit probabilissima opinio, & contra ea, in qua nullum est peccatum, sit minùs probabilis. (f) Sanè tutius est mutuum dare, & nec census Germanicos, nec aliud lucrum inde sperare, nemini tamen venit in mentem, census Germanicos percipere, non esse tutum. Imò ut benè advertit Gletle (g) si in conflictu opinionum teneremur sequi tutiorem, quæ scilicet à periculo peccandi remotior est, obstringeremur ad aliquid impossibile. Si enim in testamento ratione solennitatum imperfecto Titio relicto sit legatum, & ideo mihi titulo successionis ab intestato hæreditas obveniat, ego tenebor præstare legatum, & Titius non acceptare: quia tutius solvo legatum, & Titius agit tutius, si non accipiat legatum à me solutum. Cæterum in multis negotiis ac controversiis accidere potest, ut ab utraque parte probabilia se insinuent argumenta sive intrinseca, sive extrinseca, seu ab aliorum auctoritate petita. Id cum accidit, si res mediocres sint, de quibus agitur, videtur vitio carere posse electio, in utramvis partem ceciderit: & hæc est Moralistarum com-

A a 2

munis

* Hæc tamen pauca à me omitti non debuerunt, cum omnes, qui nobilissimo juris naturalis excolendi studio operam navant, quæstionem hanc variis animi motibus tractare soleant. Perpetua autem lex mihi erit, ut in tuendis opinionibus, in quibus ab aliis dissentire mihi visum fuerit, solis rationibus certem, non, qui mos adeo literas inquinare cepit, convitiis, turpi factu impotentis animi. Plura qui hac in controversia scire cupit, inveniet apud Tyrsam Gonzalez in tract. de usu opin. probab. Prosperum Fagnanum in C. ne innitaris 7. de constit. Candidum Philalethum in L. de opinionum praxi, & in scriptis criticis, quæ paucis abhinc annis in nostra vicinia idiomate italico prodierunt, in quibus P. Pauli Segneri litteræ in favorem sententiæ minùs probabilis editæ sub incudem vocantur sub tit. Riposta alla lettera del P. Paulo Segneri sulla materia del probabile in Verona an. 1734. addatur clar. P. Ant. Mayr t. 1. tr. 4. disp. 2. q. 3. art. 14. n. 358. & seqq.

(f) Confer. clar. P. Mayr loc. cit.

(g) Cit. dissert. L. 1. tit. 2. c. 1. §. 5. n. 34.

munis opinio, nec multa probatione, aut exemplis opus est. At si de re magni momenti e. g. de supplicio capitali hominis agitur, jam propter magnum discrimen, quod est inter eligenda, præferenda est pars tutior, & benignior. Ita satius est, nocentem absolvere, quàm innocentem condemnare. Si enim errandum est, sinè jure absolvere, quàm per injuriam condemnare, est sanctius. Nam in illo error est, in damnatione infantis facinus.

§. XVII.

Conscientia erronea ortum trahit ab ignorantia, qua variis modis considerari potest.

Cum conscientia probabili magnam affinitatem habet conscientia erronea, si enim id, quod probabile videtur, tale non sit, oritur conscientia erronea. Est autem erroris causa ignorantia, quæ importat scientiæ privationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum, quæ aptus natus est scire. Considerari potest tripliciter: I. Ratione objecti ad negotium suum relati, hinc est ignorantia *efficax*, & *concomitans*. II. Objecti in se spectati, unde ignorantia *juris*, & *facti*. III. Consensus ex quo ignorantia *voluntaria*, & *involuntaria* denominatur.

Ignorantia efficax ideo dicitur, quia ipsa dat causam actioni aliàs non fecuturæ v. g. si venator latentem in dumetis, quem pro fera habet, hominem occidat, alioquin non occisurus. Concomitans autem erit, si ipsa non sit causa, sed tantùm quasi comes actionis, aliàs etiam suscipiendæ. Ut cum venator illè pro fera inimicum suum fortè fornitò glande plumbea trajiciat, trajecturus tamen, si suum esse novisset inimicum. Prioris ignorantia argumentum est poenitentia: posterioris facti approbatio. Ignorantia juris est, qua quis ignorat legem, quæ rem aliquam permittit, præcipit, aut prohibet. Ignorantia facti est, qua quis ignorat non quidem legem, sed actionem in particulari esse contra legem. Prior vel est juris naturæ, quæ neminem excusat, cum hujus juris præcepta generalia practica, utpotè per se nota, & clara, quæque ex iis spontè fluunt conclusiones, toto vitæ tempore ignorari non possunt. (b) *Sic audiendus non est, si quis dicat se ignorasse homicidium, vel furtum esse illicitum.* Unde de gentilibus ob hanc ignorantiam Doctor Gentium (i) pronunciavit: *Quod obscuratum sit insipiens cor eorum.* * Vel juris positivi, cum quis ignorat, quod lege civili in sua civitate definitum est v. g. septem testes ad testamentum solemne adhibendos esse.

Neque hæc ignorantia ordinariè excusationem admittit, (k) cum legislator humanus legem suam ideo promulget, ut ad omnium, quos obligare vult, notitiam pervenire queat, adeoque in talem ignorantiam non facillè quis citra suam culpam incidit. Ex quo consequitur transgressores legum frustra ignorantiam obtondere, cum ea scire potuerint, aut debuerint, nisi specialis æquitatis ratio (l) aliud suadeat, secus autem se res habet circa ignorantiam singularium. Facta enim, eorumque peculiare circumstantiæ prudentissimum quemque fallere possunt. Rursus ignorantia vel est puræ negationis, vel præ-

væ

(b) Joannes Azor Instit. Moral. l. 1. c. 13.

(i) l. R. v. 21.

* Possibile tamen esse, & frequenter dari ignorantiam invincibilem circa alia jure naturæ seu præcepta, seu prohibita, imbecillitas intellectus humani nos dubitare non sinit.

(k) Vid. l. 2. Cod. de in jus voc. l. 38. §. 2. ff. ad L. Jul. de adult.

(l) Vid. l. 8. ff. de J. & F. ignor. l. 11. Cod. Eod. l. 3. §. 2. ff. ad Consultum Maced. item l. 7. 9. ff. de J. & F. ignor.

væ dispositionis, vel privationis. Ignorantia puræ negationis dicitur, cum cognitio alicujus rei animum non subit, nec tamen eam habere potest, aut debet: & hæc infantibus ac in perpetuo amentibus existit. Ignorantia verò pravæ dispositionis est, quæ res non in totum ignoratur, sed ex parte, & iudicium quidem seu opinio de re fertur, sed veritati contraria. Ignorantia privationis est, cum quis caret notitia alicujus rei, quam nōsse potest, ac debet. Ignorantia denique voluntaria illa dicitur, quæ alicui ex propria culpa, & hinc quasi volenti obrepit, quando quis nempe ignorat, quod scire poterat, & debebat. Quæ ideo culpabilis, & improbabilis nuncupatur, imò in affectam transit, si quis studiosè vult ignorare veritatem, ut sine morsu conscientie liberiùs agat, & *nolit intelligere, ut bene agat.* (m) Crassa aut supina est, cum quis negligenter se gerit in sciendis iis, quæ alioquin nōsse deberet. Involuntaria verò, quæ citra alicujus culpam est contracta, cum quis ignorat ea, quæ scire nec poterat, nec debebat: & hinc ignorantia hæc facti, justa, probabilis, sive invincibilis audit. (n) Quæ divisio nisi fallor coincidit cum divisione in *ignorantiam vincibilem, & invincibilem*: nam utraque consensùs præsentiam vel defectum innuit, *ignorantia autem involuntaria & invincibilis talis vel in se est, sed non in sua causa, vel in se, & in sua causa simul.*

Illam dicimus, quam quis in ipso quidem actionis exercitio exuere non potest: culpâ tamen agentis contracta est. Sic qui mente per ebrietatem in exilium actâ cæco impetu, & ex ignorantia delinquit, culpa vacuus non est, quia involuntarium ex voluntario ortum, habetur moraliter pro voluntario. Ignorantia involuntaria in se & in sua causa est illa, quæ neque ante actionem dispelli potuit, & citrà culpam præcedentem agenti obrepit.

§. XVIII.

Conscientia erronea vel est vincibilis, vel invincibilis,

Ignorantia pravæ dispositionis Mater est erroris atque adeò conscientie erroneæ, quæ iterum vel est vincibilis, quæ à tali homine, talis conditionis & in talibus circumstantiis superari poterat, & debebat. Invincibilem autem talis homo talis conditionis & in talibus circumstantiis nec superare potest, nec tenetur. Utraque versatur vel circa jus, ut si quis existimet omittenda esse, quæ faciendâ sunt, vel licitè fieri posse, aut præcepta esse, quæ sunt prohibita, vel deniquè necessaria pro indifferentibus habet, & vice versa. Vel circa factum, si quoad objectum & circumstantias in actionis exercitio error committitur ab illo, qui aliàs de actionis moralitate rectam tenet sententiam. Prior tanquam improbabilis, adeoque culpabilis ordinariè non excusat: bene verò posterior. Sic qui putat se posse uxorem ducere alteri jam nuptam vel sanguine sibi junctam, utique peccat, cum in jure erret. Secus judicandum est, si existimet illam, quam ducit, nec nuptam, nec sanguine sibi junctam esse. Hic nec adulterium nec incestus comittitur, & liberi ex tali matrimonio putativo nati censentur legitimis pares.

§. XIX.

Pro cuius diversitate varii sequuntur effectus,

Deinde observatione dignum est, erroris diversos esse effectus, quorum alii sunt circa actiones, quas homo pro lubitū suscipere, vel omittere potest: alii circa actiones, quæ superioris auctoritate circumscriptæ, & le-

(m) Psalm. 95.

(n) Confer. Jo. Azor Inst. Moral. l. 1. c. 12.

& legibus præceptæ, vel interdictæ sunt. Circa actiones prioris generis error consensus interciperi intelligitur, non sequentibus illis effectibus, qui ex actione, in quam consenseris, provenire solent: præsertim ubi iste error non ex supina nimis incuria obrepserit. Hujus præcepti usus in foro Civili insignis est, ubi error in pactis & contractibus circa rem, ejusque qualitatem, cujus intuitu quis ad contrahendum inductus fuit, pactum reddit invalidum.

In quantum autem circa actiones posterioris generis error versatur, & conscientia erronea inde nascitur, sequens moralistarum regula (o) præ oculis haberi debet. Quòd peccet, tam qui contra illam, quàm qui secundum illam operatur. Qui enim contra conscientiam vincibiliter errantem facit, id comitit, quod lege prohibitum esse existimat, adeoque licet non ex genere operis: ex intentione tamen operantis peccat propter proæresim, quam factò ostendit, peccandi: nam qui, quantum in se est, agere vult contra conscientiam errantem, is quantum in ipso est, agere vult contra voluntatem legislatoris vel Divini, vel humani.

Sic si conscientia dicet aliquid ut bonum, & faciendum, quod in rei veritate involvit malum, & vincibili ignorantia erret, tunc operans, quid quid agit, peccabit, v. g. Si cui conscientia dicet perjurium faciendum ad vitam alterius tuendam: sive is peieret, sive non, peccabit; quia error hic vincibilis errantem à culpa non liberat. Si enim non juret, ideo peccabit, quia omissio juramenti, quod præstandum esse conscientia erronea dictabat, est contra præceptum, ut tale ab intellectu propositum: consequenter omissio involvit in præcepti contemptu peccatum.

Sed inquis, utique ad contradictoria & impossibilia non potest dari obligatio? quod tamen sequi necesse est, si quis ex conscientia erronea obligetur ad malè operandum & non obligetur. Et deinde non apparet quomodo dicendus sit peccare, qui eo ipso, dum agit contra conscientiam erroneam, divinæ, vel humanæ legi conformia facit. Ast etiam conscientia errans ab eo, qui contra eam facit, pro divino dictamine habetur. Sit enim præco aliquis, qui legem Principis aliter promulget, quàm scripta sit. Si quis tamen crederet legem à præcone promulgatam esse veram legem Principis, hoc ipso quantum est in ipso, Principis contemneret auctoritatem. Eadem est ratio conscientia; cujus dictamen quis pro vero habitum contemnit, adeoque rationem ejus non tantum proponentem & indicantem, sed & imperantem non audit. Demum quia conscientia nihil aliud est, quàm præco quidam, legem promulgans ideo, qui contra conscientiam etiam erroneam agit, contra ipsam legem, quantum in se est, prævaricari intelligitur. Hinc peccat, qui violat religionem falsam, quam ipse pro vera habet.

Neque mirum est hominem posse per accidens ad duo contradictoria obligari: dato enim uno inconvenienti, ex necessitate aliud sequi potest, & sic dato culpabili errore in intellectu dictante hic & nunc esse jurandum ad tuendam alterius vitam, cum tamen non sit jurandum, vel è converso, non mirum est hominem ad utrumque contradictorium obligari. Quod tamen ex intellectu pravè disposito provenire patet, qui ritè applicatus prout fieri oportet facile errorem evitare, & veritatem detegere posset.

Quin autem ille vitiosam actionem committat, qui secundum conscientiam vincibiliter erroneam circa rem per se malam versatur, quamvis circa ipsum ab objecto, quod intendebatur, fuerit aberratura, dubium nullum habet. Hinc qui inimicum suum telo petere destinaverat, si in alienum jugulum incidit, homicida nihilominus erit. Ita rectè injuriarum actionem ei intendo, qui mibi cum ipsi essem ignotus, per errorem injuriam (p) intulit. Imò si in objectum

(o) Vid. Azor. J. M. l. 11. c. 8. per tot.

(p) L. 3. §. 2. in fin. & L. 18. §. 3. ff. de injur.

per se licitum fuerit aberratum, actio tamen id habebit vitii, quod ex prava intentione agentis profluit, ut si quis cum uxore tanquam cum aliena concumbat, adulter erit, quamvis illa adultera non sit. Secus autem est, si conscientia erronea versetur circa rem in se indifferentem, hoc est, lege nec præceptam, nec vetitam: hoc enim casu tantum quis peccat, si contra conscientiam agat, non si secundum eam actionem instituât. Nam si quis actionem indifferentem necessario suscipiendam esse, falso sibi persuaserit, non peccabit, cum ejusmodi errori nullum vitium morale adhareat. At si, cum talem de actione suscipienda opinionem foveret, eandem tamen omisit, saltem proteritis & prava intentio efficit, ut agens à peccato immunis haud sit.

Denique conscientia invincibiliter, & inculpabiliter erronea circa honestatem facit, ut actus sit honestus, quoniam ibi est voluntas honestè agendi sine ulla circumstantia mala, seu quam tenebatur evitare. Hinc non solum licet huius obsequi, sed etiam tenemur eam sequi, in iis quæ dicat esse præcepta, vel prohibita, cum pro hic & nunc, quamdiu error deponi nequit, peccatum alio modo evitare non possumus. Ex quo tamen male inferitur necessitas peccandi in muliere v. g. die festo infirmi curam gerente, quæ errore invincibili ducta sibi persuadet, se peccare, si omittat sacrum, & si desolat infirmum: cum enim hoc in casu conscientia perplexæ mulier, morali libertate non gaudet, ad culpam autem imputabilem necessario libera requiratur, à peccato etiam immunis erit, modo id præligat, quod minus malum esse iudicat, quamvis enim ex duobus illis alterutrum eligere queat, non est tamen libera ad agendum contra conscientiam, cum utraque parte electa culpam apprehendat. (g) Imò in hac apparenti collisione legum non tam eligitur minus malum præ majori, quam, quod extra ejusmodi collisionem peccatum videri poterat, peccatum esse definit.

§. XX.

Si iudicium intellectus maneat suspensum, oritur conscientia dubitans.

Conscientia erroneæ proxima est conscientia dubia, quæ impropiè dicitur conscientia: neque enim est scientia neque iudicium intellectus, sed ejus potius suspensio propter rationes utrinque pugnantes, & ob impotentiam intellectus, qui veras decidendi rationes à rationibus dubitandi discernere non potest, & indeverentiam sive certam sive probabilem colligere. Quare rectè dubitatio pars ignorantia esse dicitur, & dubium de re aliqua secundum Philosophum (r) hoc modo se habet ad mentem, sicut vinculum corporale ad corpus, & eundem effectum demonstrat. In quantum enim quis dubitat, in tantum patitur aliquid simile his, qui sunt strictè ligati, sicut enim ille, qui habet pedes ligatos, non potest in anteriora procedere secundum viam corporalem: ita ille, qui dubitat, quasi habens mentem ligatam, non potest ad interiora procedere secundum viam speculationis. Interim tamen dubium ad conscientiam, sicut privatio ad habitum suum reduci poterit. Imprimis autem tunc, cum conscientia dubia agere censemur, quando non simpliciter fluctuamus, sed moralitate nondum intellecta, actionis executionem temerè decernimus.

Est ergo dubium hesitatio intellectus in medio suspensi, hoc est in neutram partem inclinati, sed quo se veritat ambigentis. Duplex autem distinguitur dubii

Bb 2

genus,

(g) Vid. P. Franc. Bardi discept. & conclus. moral. de conscientia discepti 3; ped totum. Bernhardus Gletle Jurisprud. fundament. c. 1. §. 1. n. 24. 699.

(r) L. 3. Methaphys. c. 1.

genus, scilicet aliud positivum, aliud negativum. Dubium *positivum* est, quando intellectus manet suspensus ob æqualia rationum momenta, quibus hinc & inde ad assensum vel dissensum propellitur. Dubium *negativum* est, quando intellectus ideo suspensus remanet, quod nullas inveniat rationes, quibus in unam potius quam in aliam partem moveatur. Unde liquido patet, quæ differentia dubium ab opinione separet, qui enim dubitat, neutri parti assentitur, sed inter utramque partem fluctuat: qui verò opinatur, uni extremo assensum præstat. Dubium tam positivum quam negativum scinditur ulterius in dubium *iuris*, & *facti*.

Dubium *iuris* dicitur, quando anceps hæreo, an detur lex permittens, imperans, prohibens, aut irritans? ut si dubitem, sintne usuræ prohibitæ &c. Dubium *facti* vocatur, quando anceps hæreo circa factum aliquod, aut circumstantiam facti, ut si dubitem, solverimne pecunias debitas &c. Dubium *iuris* à plerisque subdividi solet ulterius in *speculativum* & *practicum*. *Speculativum* dicunt, quod directe non versatur circa honestatem humanæ operationis, sed circa objectum aliud: ut si dubitem, fueritne equus, quem emi, venditoris? &c. *Practicum* appellant, quod directe versatur circa honestatem humanæ operationis. Atque iterum dispeſcunt in *universale*, quod honestatem humanæ operationis tantum in genere attingit: ut si dubitem, utrum beligerare licitum sit. Et *Particulare*, quod hanc vel illam actionem in particulari respicit: ut si dubitem, an mihi subito jussu Principis arma capere concessum sit.

Dubium versatur quandoque circa ipsam legem, & obligationem ejus, quandoque verò circa exemptionem ab obligatione legis. Circa ipsam legem versatur. I. Si dubitem, an lex sit lata, vel ad hunc, aut illum casum se extendat. II. Si constitutus in circumstantiis, in quibus lex non obstringit, dubitem, an reversæ sint circumstantiæ, in quibus obligat: ut si morbo oppressus, qui excusationem à jejunijs tribuit, dubitem, an morbus, ita jam remiserit, ut carnibus vesci die alias prohibito liceat. Circa exemptionem ab obligatione legis versatur dubium. I. Si certus de lege lata, dubitem, an non consuetudine contraria sit sublata, vel an non privilegio aliquo contra legem sit munitus. II. Si certus de obligatione legis, dubitem, an legi satisfecerim.

§. XXI.

Pro regula tenendum est, conscientia dubitante nihil esse agendum.

His positis pro regula *Juris Naturalis* infallibili tenendum est, conscientia dubitante nihil esse agendum: bene præcipiunt, inquit Cicero (s) qui vetant aliquid agere, quod dubites æquum sit, an iniquum: qui enim sic ageret, non ageret ex fide, seu conscientia honestatis: quod autem ex fide non sit, peccatum est, (t) quo in loco fides ut scite observat Grotius (u) animi judicium de re significat. Deinde sic agens non satis abhorret à peccato, sciens enim & volens, nulla necessitate agendi posita, exponit se periculo peccandi, & sic amans periculum peribit in illo. Rursus talis dubitans virtualiter peccatum eligit, consentit enim in actionem peragendam, sive sit bona, sive sit mala: rem ergo, quæ mala esse potest, eligit, perinde enim est, ac si diceret: mihi quidem non liquet, an hæc actio legi repugnet; nihilominus

sive

(s) L. 1. offic. c. 9.

(t) Ad Rom. 14. v. 23.

(u) L. 2. c. 23. §. 2.

sive repugnet, sive non, eam suscipiam, quæ dubitatio sanè cogitationem injuriæ significat, ut graviter monet Cicero: (x) quis hæc verba legat, quin pudore, & dolore afficiatur, quod Christiani has summæ æquitatis regulas corrumpant, quas Ethnici religione sanciverunt? Denique contra amorem Creatori suo debitum agitur, id scilicet faciendo, de quo dubitatur, an ipsi fiat injuria nec ne: lex enim charitatis postulat, ut ea pro viribus nostris vitemus, quibus & amicus lædi potest.

Quamdiu igitur judicium intellectûs nullo rationum momento in alteram partem vergit, actio est suspendenda, ne secus agens ejusdem peccati specie, circa quam dubium versabatur, commaculetur. (y)

§. XXII.

Potest autem quis contemplativè dubitare, & activo judicio dubium deponere.

Non autem adeo expeditum est, an & ille peccet, qui speculativè tantùm dubitat, practicè autem judicet, se benè operari. Invaluit communiter opinio, fieri posse, ut quis incertus de veritate universalis propositionis, particularis autem, vel singularis sub illa contentæ veritatem discat, non quidem ex rei ipsius, intrinsicis, sed ex reflexis & extrinsecus assumptis principiis: puta auctoritate doctiorum, prudentiorumve: sic si quis in genere dubitet, utrum Christiano armis uti liceat? Princeps autem jubeat, ut nomen militiæ det, & contra hostem pugnet: posse talem, & debere, insuper habita universalis propositionis incertitudine, particularem pro vera, & certa habere, & practicum judicium sibi formare, ac credere, in re dubia obsequendum esse superiori. Sed hæc non extra omne dubium posita sunt. Non enim eousque Judicium speculativum à practico discrepare videtur, ut judicio speculativo existente dubio, & incerto, practicum, certum, & probabile esse possit, cum perpetuo unum alteri respondeat, imò hoc illi innitatur: nam sicut Intellectus speculativus, & practicus non sunt diversæ potentix, & docente S. Thoma (z) *intellectus speculativus est, qui quod apprehendit, non ordinat ad opus, sed ad solam veritatis considerationem: practicus verò intellectus dicitur, qui hoc, quod apprehendit, ordinat ad opus. Objectum verò intellectûs practici est bonum ordinabile ad opus sub ratione veri: ac intellectus practicus veritatem cognoscit sicut speculativus, sed veritatem cognitam ordinat ad opus: ita etiam in concreto separatio utriusque intellectûs fieri nequit.*

Deinde quamdiu quis dubitat in universum, an Christiano arma tractare liceat: Ille certus esse non potest, sibi hic & nunc id licere. Quemadmodum dubitans, an usuras accipere licitum sit, & sciens id, quod facit, esse usuras accipere, non potest non secum reputare id, quod facit, illicitum esse. Quid ergò multis? rem sic declaro. Si quis propositionem singularem sive practicam à prudentibus, vel superioribus suis ita ad liquidum perductam intelligat, ut non attenda universali rectè se facere, de quo in universum dubitabat, existimet: adest concordia intellectûs speculativi, & practici, ac conscientia, quæ fuit dubia, jam est probabilis & recta. Itaque sicut errorem, ita quoque dubium quilibet sive per se, quantum ingenio suo assequi potest, sive consilio, & auctoritate aliorum deponere potest. Si quis autem falso persuasus sit, quod imperatur, injustum esse: tamdiu ei illa res pro illicita erit, quamdiu eam opinionem non potest deponere. *Duplex est via* inquit S. Augusti-

Cc

(x) Cit. c. 9.

(y) Vid. Bonacina de peccat. Disp. 2. q. 4. punct. 7.

(z) I. p. Q. 79. a. 2.

gustinus: (a) *Quam sequimur, cum rerum nos obscuritas movet, aut rationem, aut certe auctoritatem.* Semper tamen adsit in intentione charitas, in electione veritas, quantum in nobis est. Et hoc in sensu verum est, quod qui contemplative dubitat, possit activo iudicio non dubitare.

§. XXIII.

An autem & quomodo stante dubio liceat inter duo mala minus eligere? disquiritur,

Quid tum factu opus sit, si cui omnino alterutrum sit faciendum, & de utroque tamen, an æquum sit, dubitetur? Respondet Grotius: (b) licere ei eligere, quod minus iniquum esse videtur: *Semper enim, inquit; ubi electio evadi non potest, minus malum rationem induit boni*: ubi tamen benè notat Puffendorffius, (c) hoc axioma propriè in concursu malorum damnosorum, non moralium locum sibi vindicare, cum ex duobus malis moralibus neutrum nequidem ideo eligendum sit, ut inde eveniant bona. Quod enim turpe est, pro impossibili semper habendum. Sæpè tamen actio quædam speciem mali præfert, quæ mala non est. Quod in collisione legum frequenter accidere solet. Illud veterum, de malis minimum: confutat Cicero: (d) *An iniquus est ullum majus malum turpitudine?*

§. XXIV.

Si utrinque dubitetur in re gravi, & alterum uterum sit eligendum, sequendum erit, quod est tutius,

Utrum autem contemplative dubitans iudicio activo eligere possit opinionem minus tutam, quæ stat pro libertate contra legem, gravis est quæstio? Cur subsistente dubio, libertati hominis magis, quam legislatoris auctoritati faveam; rationem non invenio. Cum enim ipsa Juris naturalis creaturæ rationali indita ratio præcipiat, *in dubiis tutiorem partem esse eligendam*: non intelligo, quomodo homo intellectu dubitante, & quasi in æquilibrio veri, & falsi, liciti, & illiciti, suspensio minus tutam ex eo præcisè motivo præeligere queat, quod hæc possessionis libertati faveat? cum tamen ille demum sua libertate rectè utatur, qui legibus per rectam rationem à Deo promulgatis actiones suas conformare annititur. Si ergo possessioni favendum est, cur non antiquiori & illi æternæ Dei, qui non prius hominem animal rationale esse jussit, quam lege instruxit, & obligavit?

Sanè qui in dubio licitè, & illicitè agendi constitutus, solo libertatis suæ prætextu ad suscipiendam aliquam actionem temerè provolat, parùm sollicitus esse videtur, an lex detur prohibens, aut præcipiens: vel saltem nihil curat, si contra illam agat, & legislatorem suum contemnat: quod temerarii, imprudentis, & per conculcatas leges ad innoxiam libertatem prurientis est subditi. Et sic omnis imperandi vis, & obediendi ordo in sacris, & profanis dissolveretur. Quamdiu ergo intellectus in ancipiti hæret, & propter æqualia rationum momenta iudicium moraliter certum, & determinatum ferre, adeoque majora assentiendi quam dissentendi motiva invenire nequit: non tantum consilii, sed præcepti naturalis esse videtur actionem omnino suspendere,

(a) De civ. D. L. 1. c. 19.

(b) L. 2. c. 23. §. 2.

(c) L. 1. c. 3. §. 8.

(d) De off. l. 3. c. 29.

dere, vel partem tutiorem eligere, cum tutius sit non facere, quam facere id, quod nescis, an voluntati Dei conforme sit nec ne? quo ipso te presentissimo peccandi periculo exponeres. Facere enim quod dubitas, placiturne sit domino, an secus, vilipendium est domini, & offensionem parit. Quid ni & Deus ita ratiocinantem abominetur? hæreo equidem dubius an hoc, quod facio, vel omitto, sit contra ipsius legem: quidquid tamen ejus sit, eligam id, quod libertati meæ favet, sive dein licitum sit, sive illicitum sit. Quæ magna sanè levitas, & Dei immortalis offensio est. Inde est quod legislatores humani regulam illam: in dubiis tutiorem partem esse eligendam, ipso lumine rectæ rationis notam, & promulgatam, in utroque jure sacro & profano (e) toties repetierint, & inculcaverint, quam frustra consilii tantum, & non præcepti esse dixeris, vel ad dubium facti, aut negativum tantum limitaveris.

Cum enim hæc regula ipso lumine naturali sit notissima, & pro indubitato morali principio suarum decisionum à Legislatoribus fuerit adhibita, erit juris naturæ non tantum consulentis, sed & præcipientis, adeoque universalis: & hinc in omni vero dubio amplectenda, & pro cynosura habenda. Et utique Pontifices in memoratis Capitulis legem se ferre satis declarant: ad illud enim principium provocant, quod Jure Naturæ per se obligat, & ad id decernendum cogit, quia inquirunt in his, quæ dubia sunt, quod certius, id est, tutius existimamus, tenere debemus: cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, & his similia. Quamquam, ut fateamur, quod verius est, nullam propriè legem ibi Pontifices ferunt, sed tantum explicant naturalem. Rogati enim à viris particularibus, quid quibusdam in casibus agendum sit vel fuerit (atinguntur enim alicubi casus, & actus præteriti, in quos sanè præceptum nullum cadere potuit) reponunt ob eam causam, quod in dubiis pars tutior sit eligenda illos debere, vel debuisse ita se gerere, ut in singulis Canonibus exprimitur. Itaque vel in illis ipsis casibus, qui in allegatis Canonibus comprehenduntur, præceptum nullum valet, vel si quod valet, non ex speciali præcepto ac lege Pontificum obtinet in iis tantum casibus, sed ubique ex naturali, ac generali axiomate: in dubiis tutior pars est eligenda, quæ unica, & quidem præcipientis earum responsionum ratio fuit, & esse debuit.

§. XXV.

Cui non obstat regula, qua in pari causa, vel in dubio meliorem possidentis conditionem esse asserit.

Non equidem ignoro huic regulæ opponi aliam non minus in utroque jure receptam: in pari causa, vel in dubio scilicet meliorem esse possidentis conditionem: (f) ex qua multi inferre volunt, hominem in possessione libertatis suæ constitutum eligere posse opinionem libertati faventem contra obligationem legis, quam existere dubitat. Sed pridem ab aliis jam ostensum est, regulam hanc extra materiam justitiæ vires suas exerere non posse, & in hac quidem potissimum in foro tantum externo tribuere possessori quædam commoda. Facit enim, ut actori, non possessori probatio domini incumbat, quodque ex ipsa possessione ordinariè aliqua domini præsumptio pro possessore habeatur, quod quidem rationi naturali congruit, ut qui

C c 2

alium

(e) C. ad audientiam 12. C. significasti 16. C. Petitio tua de homicidio 24. C. juvenis 3. C. de sponalibus 6. C. illud 5. de Clerico excommunicato. L. 56. & 192. ff. de regulis juris.

(f) Cap. 65. de regulis juris in 6to & l. 126. §. 2. l. 128. ff. de R. J.

alium è possessione sua deturbare cupit, intentionis suæ justitiam probare teneatur : naturale itidem est, ut qui notabiliore temporis spatio rem quandam, animo sibi habendi quiete tenet, tamdiu ejus dominus esse præsumatur, quamdiu contrarium non fuerit probatum. Quod ergo in pari causa vel in dubio melior possidentis sit conditio, ipsa possessionis natura postulat, ut consequenter sæpè dicta regula solum exprimat, quod ex rei natura inest, ac per consequens nihil juris ad rem possessam potestate legis in possessorem transferatur. Quod & exinde evincitur, quod hætenus in jure sit inauditum, per possessionem jus aliquod perpetuum, ac stabile auctoritate legum in possessorem transferri, nisi temporis continuatio, aliæque ad præscriptionem requisita intervenerint. Dum ergo nonnulli docent, in dubio vel in pari causa possessorem, rem integram retinere posse; quasi leges possessori rem talem totam attribuant, falso principio in nullo juris textu fundato innituntur : quia, ut cuilibet legenti patebit, leges nihil aliud dicunt, nisi in pari causa meliorem esse conditionem possidentis, quæ sufficienter finem suum consequuntur per hoc, quod auctori probatio incumbat, quodque possessio præsertim diuturna præsumptionem dominii inducere solet. Longè aliter res se habet in materia aliarum virtutum, sive obligationum, ubi hæc regula *in pari causa vel dubio &c.* locum habere non poterit quoad forum conscientiæ. Ratio enim, quæ facit, quod possessio in materia justitiæ subinde pro possessore aliquid momenti adjiciat, in materia aliarum virtutum obtinere nequit : quia ratio illa desumitur ex præsumptione, quæ in materia justitiæ ex possessione notabilis temporis, & diuturno adversarii silentio sæpius oritur. Hæc verò præsumptio ex possessione non profluit, nisi quia nullus præsumitur detinere rem animo, & affectu domini, sive possidere; nisi reverà sit dominus. Ubi ergo de dominio, aut quasi dominio rerum temporalium non agitur, nulla præsumptio, aut conjectura ex possessione oriri potest. Quin imò ubi de rebus hujusmodi non agitur, nec possessio propriè dicta esse potest. Ex omnium enim Juris Consultorum sententia possessio tantum dicitur earum rerum, quarum dominium, aut quasi dominium, sive quæ ut propriæ possunt haberi. Cum igitur regula expressè agat de possidente, vel ex solo hoc capite patet, non posse, eam extra materiam justitiæ trahi, utpote extra quam nullus possessor dici potest. Quod verò dicant in materia aliarum virtutum in dubio occurere possessionem libertatis contra obligationem legis, in jure inauditum est, nec in ullo juris textu, vel vestigium occurrit possessionis libertatis, quæ à libero arbitrio agendi unum, aut alterum dicitur. Quare nec ullibi in jure, ubi de dubio agitur, extra materiam justitiæ, ulla possessionis ipsius libertatis ratio habetur, sed generaliter dicitur: in dubio tutiorem viam esse eligendam, cum tamen, si possessio libertatis esset attendenda, nunquam, aut rarò daretur casus, ut rectè notat Fagninus, (g) quò quis teneretur tutiorem partem eligere, & hoc præceptum tam crebrò, & sollicitè à sacris Canonibus inculcatum esset ludibrio expositum.

Præterea, nonne æquè se exponit periculo committendi contra legem, v. g. certis diebus abstinendam à carnibus præcipientem, qui dubius die Jovis, an transacta sit media nox, carnes comedit, quàm, qui die Sabbathi similiter dubitans, an media nox præterierit, carnes manducat? quid quæso plus patrocini præstat in priori casu possessio libertatis, ut conscientiam tranquillam reddat, quàm in posteriori? nonne æquè in primo quàm in secundo hæret dubius de obligatione, & consequenter utroque casu, si non absteinat à carnibus, se committit periculo agendi contra legem, adeoque peccat? quia juxta regulam lumine naturali notissimam, adeoque omnibus

(g) Cap. ne imitatis §. n. 195.

bus sufficienter promulgatam, non solum peccatur malum determinate eligendo, sed etiam illius mali periculo sine justa causa se exponendo. Ex quibus omnibus satis apparere arbitror, hanc præsentem possessionem libertatis creaturæ contra creatorem, hominis subditi contra legislatorem divinum concipi non posse, sed potius obligationem creaturæ rationali ab auctore naturæ impressam, & coexistentem in imperturbata possessione contra noxiam libertatem permanere debere: adeoque regulam illam naturalem, & universalem *in dubiis tutiorem partem esse eligendam* legibus positivis toties canonizatam, approbatam, & inculcatam per alteram posteriorem: in dubio *meliolem esse conditionem possidentis*, in utroque jure æquè, sed non eodem modo receptam, nullatenus oppugnari, ac priorem semper pro foro interno, posteriorem in sola materia justitiæ pro foro externo potissimum tantum militare. (b)

§. XXVI.

Datur denique conscientia scrupulosa, cui opponitur cauteriata.

Conscientiæ dubiæ affinis est scrupulosa. Scrupulus, si nominis Etymon spectemus, est lapillus minimæ quidem molis, sed qui incidens in calcem, pedem miserè affligit. Nomen hoc antiquissima translatione usurpatum fuit ad significandam molestiam, seu quandam animi anxietatem subortam ex apprehensione, aut existimatione, qua homo excitatur ad apprehendendum, vel dijudicandum aliquid esse peccatum, quod tale non est; aut se aliqua obligatione obstringi, ubi nulla adest. Et in hac significatione definiri potest, quod sit animi metus vel angor ex levibus motivis proveniens, quo secundum conscientiam ad aliquid obligari *apprehendimus*; aut *judicamus*.

Si hæc anxia animi formido alicujus momenti, rationabilisque esse videatur, actio pariter sicut in dubio erit suspendenda, donec rationibus vel prudentum auctoritate dissipetur. Si autem inanibus & futilibus ratiunculis innitatur, penitus negligere & generosè contemnere oportet. (i) Hinc liquet, plurimum interesse inter conscientiam dubiam & scrupulosam: nam qui dubius hæret, neutri quæstionis parti assentitur: at scrupulosa conscientia uni parti quæstionis per assensum accedit, verum de parte opposita dubitat, an ea sit verior: ac rursus uni parti ita assensum præstat, ut leviter ab assensu recedat, vel incipiat dubitare. Insuper dubia conscientia propter probabiles utriusque partis rationes ambigit, at verò scrupulosus animus propter leviuscula quæque argumenta hæsitat: imò aliquando absque ulla ratione dubitat. Huic opponitur conscientia larga, quæ ex motivo levi vel futuli hic & nunc aliquid licitum vel etiam bonum esse judicant, quod tamen secus se habet. Si autem homo de justitia vel injustitia actionum suarum non amplius ratiocinetur, & conscientia ita occalluerit, ut nullo honestatis sensu tangatur, appellatur conscientia *cauteriata* similitudine delumpta à carne cauterio usta, quæ omnem amittit sensum.

Dd

CA-

(b) Videantur Azor Instit. Moral. l. 2. c. 18. n. 3. inprimis autem Prosper Fagnanus ad cap. ne innitaris §. de constit. & nuperrimè R. P. Paulus Antoine Theol. Moral. de conscient. cap. 4. quæst. 3.

(i) Vid. Azor Instit. Moral. l. 2. c. 20.

C A P U T VII.

De Voluntate altero humanæ actionis Principio.

§. I.

Alterum actionis humana principium est voluntas,



Rogredimur ad alterum actionis humanæ principium, seu illam facultatem *volendi, nolendi, appetendi, & averfandi*, quam Philofophi *voluntatis* atque *appetitûs* nomine exprimunt, dividuntque in *rationalem per fe*, cui *voluntatis* nomen propriè tribuunt, & *fenfivum*, quem etiam *rationalem per participationem* dicunt, quatenus rationem audit, eique obtemperat. A quo proin appetitus merè naturalis, & instinctus seu prima naturæ differunt. Dedit nimirum divina providentia unicuique hominum naturalem fenfum boni, & mali: ejus verò differentiam quia instinctus Naturæ non peræque discernit, cum multa prima facie appareant bona, quæ post deprehenduntur mala, & contra primo intuitu mala videantur, quæ bona sunt: idcirco voluit natura nos non minùs ex animo, quàm corpore consistere, atque hujus ministerio, illius imperio uti.

§. II.

Qua ex se bonum appetit, & malum averfatur.

NOs breviter definimus *voluntatem, esse illam mentis facultatem, qua bonum, & malum ab intellectu representatum appetimus, vel averfamur*. Voluntatem maxime ab intellectu distinguit, illique planè proprium est, quòd semper propensione quâdam naturali in bonum aliquod feratur, ideo etiam nonnullis Philofophorum facultas animæ boniformis dicta: & ita quidem in omnibus hominibus voluntas se habet, ut bonum semper sine ulla intermissione appetat, licet non omnes semper idem appetant. Est autem omne illud *bonum*, quidquid rem conservat, ac perficit, adeoque si id ad hominem refertur, bonum illi erit, quidquid hominem conservat, ac perficit. *Malum* quod eundem destruit, ac deteriozem reddit, & si malum repugnat naturæ nostræ, & essentia, adeoque destruit *To esse*, vocatur *Physicum*: si repugnat voluntati Dei, & destruit *To bene esse*, morale dicitur. Atque hæc divisio etiam ad bonum pertinet. Deinde, quæ immediatè ad corporis conservationem, ac perfectionem comparata sunt, bona *corporis*, quæ mentem perficiunt, ac conservant, bona *animi* nuncupantur. Sicut autem quædam aliquid creduntur conservare, & perficere, quæ id reverà destruunt: quædam id destruere aut deterius reddere creduntur, quæ verè conservant, ac perficiunt: *bonum* æquè ac *malum* in *verum*, & *apparens* dividere solent: divisione inepta, cum bonum apparens verum malum, malum apparens verum bonum sit.

Vulgaris autem divisio boni in honestum, utile, & jucundum, non tam rem respicit, quàm conceptum: & hæ non tam sunt tres diversæ species, quàm tria cujuslibet boni requisita, ita tamen, ut aliquando ab invicem separata, aliquando conjuncta sint. Sic amor Dei est bonum honestum, quia decet naturam rationalem: est bonum jucundum, quia nulla major nec sincerior voluptas, quàm quæ ex Dei amore nascitur: est demum utile, quia felici-

felicitem parit æternam. Et in hac vita libertatem veram, & hinc in amore Dei omnia tria requisita veri boni conjuncta videmus.

§. III.

Quod variis operandi modis contingit,

Dividi solet voluntas ratione intellectûs antecedentis in *plenam*, quæ sufficienter cum omnibus circumstantiis, & non *plenam*, quæ insufficienter ab intellectu est informata. Tunc autem censetur esse plenè informata, quando appetitio boni, aut aversio mali procedit ex consultatione, seu prærefi, quæ juxta Aristotelem est deliberata appetitio eorum, quæ in nostra potestate sunt, indeque oriuntur tum *actiones tum omissiones deliberatae*. Sin autem illa cognitio intellectûs sit simplex tantùm apprehensio, eamque statim sequatur animi commotio, erit *actus voluntatis minus plena, & indeliberatus*. Deinde voluntas ratione sui ipsius dicitur plena, quæ *plena libertate bonum appetit, & malum aversatur*. Minus *plena*, quæ hac omnimoda libertate non gaudet.

Ex priori oritur *voluntarium liberum*, quod ita procedit ab intrinseco, ut objecti tum bonitas tum malitia appetitui præluceat. Ex posteriori *necessarium*, quod quidem procedit ab intrinseco, quin cognitio indifferens appetitum dirigat. Quando itaque prosequimur objectum, cujus tum bonitatem tum malitiam habemus perspectam, prosequimur appetitione libera.

Contra quando ferimur in objectum, in qua meram agnoscimus bonitatem, nullo planè occurrente motivo, quod absterreat, ferimur appetitione necessaria. Quemadmodum enim intellectûs prima principia rectè apprehensa necessariò assensu comprobatur: sic etiam voluntas bonum sine permixtione mali propositum, amore necessariò complectitur, quia toto naturali pondere in bonum quasi rapitur. (a)

§. IV.

Unde etiam multiplices voluntatis actus oriuntur.

Actus voluntatis varii sunt, & varias sortiuntur denominationes: nam si bonum, ad quod tendit, finis instar concipiatur, & seorsim media, quibus nos uti decet, ut boni hujus compotes reddamur, considerentur: sex voluntatis actus enumerari solent: *volitio, intentio, fructio, electio, consensus & usus*. Et tres quidem priores ad finem: posteriores ad media pertinent. Primò enim finem cognitum approbat, deinde ad eundem consequendum efficaciter se movet, & tandem eo obtento fruitur, placidèque acquiescit. Sic & media primò probantur, tum quæ maximè idonea visa fuerint, eliguntur, & demum usui applicantur. Et hi quidem actus omnes appellari solent *eliciti*, eo quod ab ipsa voluntate producantur, & ab eadem recipiantur. Distincti ab his sunt *imperati*, qui ab aliis hominis facultatibus, à voluntate motis, proveniunt.

§. V.

Semper autem voluntati proprium est, ut spontè & liberè agat.

Cæterum etsi voluntas in universum necessariò bonum appetat, malumque aversetur, hoc tamen *spontè, & liberè* facit. Hinc meritò voluntati naturaliter tribuuntur voluntarietas (quàm alii spontaneitatem nuncupant)

Dd 2

(a) Videatur Bernhardus Gletle Jurispru. fundament. l. 1. Tit. 2. c. 1.

cupant) & libertas. *spontaneitas* (b) nobis est, per quam voluntas intrinseco velut impulsu se movet ad appetendum, vel fugiendum objectum ab intellectu repræsentatum. Et hæc spontaneitas non solum pertinet ad actiones simpliciter *voluntarias*, sed etiam ad *mixtas*.

Hæ autem vocantur, cum quis ad evitandum malum sive verè sive apparenter majus minus eligit. Certè enim propositis duobus malis ab arbitrio voluntatis dependet, utrum eligere velit. Ubi igitur expensis circumstantiis ad alterutram partem se convertit, non utique ex intrinseca necessitate, sed sponte sua pro præsentis rerum statu, & conditione præferendo minus malum majori, agit.

Per libertatem intelligimus illam prærogativam, seu facultatem activam voluntatis, qua illa circa objectum agibile positis omnibus ad agendum requisitis indifferenter se habet, tum quoad speciem, tum quoad exercitium actus. Hinc est vel contradictionis seu exercitii, ut uno objecto proposito possit agere vel non agere, quæ versatur circa unius objecti electionem vel rejectionem, vel contrarietatis, seu specificationis, ut pluribus objectis præsentibus unum eligere queat, alterum sive reliqua rejicere. Operatione ergo libera hic non designamus actionem à nexu obligationis, aut coactione immunem; sed quæ à principio suo proximo ita procedit, ut potuisset & non procedere.

§. VI.

Dari autem in homine liberum arbitrium, ostenditur:

Dari libertatem seu liberum arbitrium non solum infallibili fidei lumine certum est, sed manifesta quoque ratione convincitur. Si quis enim paulò acuratiùs se ipsum intueatur, perspicuè advertet: se actionibus suis liberè dominari, ac pro arbitrio hoc, vel illud agere vel non agere posse: adeoque à Deo non necessitate quadam ad actiones impelli. Quis enim negaverit, hominem judicio, hoc est, vi quadam præditum esse, qua in proposita sibi objecta, eorumque bonitatem inquirat? quod omne frustraneum esset, nisi ex cognitis objectis deinceps eligere, quod optimum videretur, posset; sed ad alterutrum jam esset determinatus, id, quod etiam Sever. Boethius (c) vidit, qui ita argumentatur. *Quod ratione uti naturaliter potest, id habet judicium, quo quodque discernat per se: igitur fugienda optandæve dignoscit. Quod verò quis optandum judicat esse, petit: refugit verò, quod existimat esse fugiendum. Quare quibus inest ratio, ipsis etiam inest volendi, nolendique libertas.*

Tollere libertatem, est homini adimere illam perfectionem, qua maxime homo est, & supra bruta, aliæque agentia Physica potentiâ ad oppositum carentia eminere intelligitur. Quo semel recepto, quantus rerum humanarum occasus consequeretur, idem Boethius (d) præclare ostendit, *frustra enim inquit: bonis malisque præmia, pænæve proponuntur, qua nullus meruit liber, ac voluntarius motus animorum, idque omnium videbitur iniquissimum, quod nunc æquissimum judicatur, vel puniri improbos, vel remunerari probos: quos ad alterutrum*

non

(b) Plura hac de re videri possunt apud Puffendorffium l. 1. c. 4. §. 1. conferri meretur Joannes Schilterus manu duct. Philosoph. moral. c. 7.

(c) Lib. 5. Prof. 2. de consolatione Philosophiæ. Est hic ille *Anicius Manlius Severinus Boethius*, qui tempore Anastasii Imp. & Theodorici Gothorum Regis claruit, & 5. libros *de consolatione Philosophiæ* exul Ticini scripsit. Inter posterioris ævi scriptores Græcos pariter & Latinos, neminem fuisse in omni genere sapientiæ *Boethio* parem testatur Petr. Berthius præfatione præfixa Boethii lib. de Consol.

(d) Lib. 5. Prof. 3. de consolat. Philosoph.

non propria mittit voluntas, sed futuri cogit certa necessitas. Nec vitia igitur, nec virtutes quidquam fuerint. Sed omnium meritorum potius mista atque indiscreta confusio.

§. VII.

Cui nec præscientia Dei,

NEC obest hominis libertati præscientia Dei, quam enim præscientiam dicimus, ea intuitu Dei scientia est. Rem explicat Puffendorffius ad mentem Catholicorum nervosè (e) præscientia divina, inquit, fallere nescia rebus tamen nullam necessitatem affert, nec his causam dat: cum ea nihil aliud notet, quàm intuitionem rerum deinceps exiturarum aut possibilem, sicuti inspectio est rerum præsentium, & memoria præteritarum. Atque ista etiam in eos cadit, qui ad productionem rerum nihil conferre possunt. Productio enim rerum est opus potentæ, & voluntatis, præscientia autem solius intellectus. Illa definit, & constituit, prout res utique existere debeat: hæc à necessitate existendi præscindit, & rem simpliciter intuetur. Quod autem attinet ordinem præscientiæ, & decretorum divinorum circa futuram rerum existentiam, utra alteram præcedat? sanè manifestum non sine absurditate, & contradictione statui; decreta Dei priora esse præscientia. Id enim perinde est, ac si dicerem, me aliquam certam rem producere, quam, quæ & qualis sit, nesciam. Inde usitatissimum est Theologis: res non ideo eventuræ sunt, quia Deus præscit, sed ideo præscit Deus, quia eventuræ sunt. Nec etiam à certitudine, & infallibilitate scientiæ divini ad rerum scitarum necessitatem concludere licet. Distinguendum enim hic inter certitudinem, & necessitatem, & inter necessitatem *consequentis*, seu illationis, & *consequentis*, seu quod eodem recidit, inter necessitatem hypotheticam, & absolutam: non hæc, sed illa, salva libertate nostra queunt admitti. Hinc intelligendus S. Augustinus (f) inquit: Si autem illa definitur esse necessitas, secundum quam dicimus necesse esse, ut ita sit aliquid, vel ita fiat; nescio: cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Sic etiam cum dicimus, necesse esse, ut cum volumus, liberò velimus arbitrio; & verum procul dubio dicimus, & non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subijcimus, quæ adimit libertatem. Sunt igitur nostræ voluntates, & ipsæ faciunt, quidquid volendo facimus, quod non fieret, si nollemus.

Id quod ex Boethio (g) illustrari potest, at nos, ait: *Illud demonstrare nitamur, quo modo sese habeat ordo causarum, necessarium esse eventum præscitarum rerum, etiamsi præscientia futuris rebus eveniendi necessitatem non videatur inferre.*

Adeoque cum dico, impossibile est, Adamum non peccare, si Deus præscivit, respondetur cum Theologis, hanc enunciationem esse veram in sensu composito, sed falsam in diviso enim Deus Adami peccatum vidit. Non, antequam admitteretur ab Adamo, id quod natura æternitatis vult: dum autem erat admissum, non amplius poterat non admitti, cum tamen potuerit, antequam admitteretur. Deus quidem, ut iterum ratiocinatur S. Augustinus (h) *Adamum peccaturum præscivit, qui si nolit, omnino non peccat, sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit.* Et Boethius (i) *sed in mea, inquit, potestate situm est mutare propositam, evacuabo providentiam, cum, qua illa præscit, forsè mutavero.* Respondebo: Propositum te quidem tuum posse deflectere; sed

Ee

quoniam

(e) Lib. de Jur. fec. div. §. 72. & de J. N. & G. l. 1. c. 4. §. 3.

(f) Lib. 5. c. 10. de civ. Dei.

(g) Lib. 5. profa. 3. de consolat. Philosoph.

(h) Loc. cit.

(i) Lib. 5. profa. 6. de consolat. Philosoph.

quoniam & id te posse, & an facias, quove convertas, præsens providentiæ veritas intuetur, divinam te præscientiam non posse vitare; sicuti præsentis oculi effugere non possis intuitum, quamvis te in varias actiones libera voluntate converteris. Quid igitur inquires? pergunt Boethius (k) sibi ipsi ulterius objiciendo. Ex meane dispositione scientia divina mutabitur: ut cum ego nunc hoc, nunc illud velim, illa quoque noscendi vices alternare videatur? at ipse respondet minimè. Omne namque futurum divinus præcurrit intuitus, & ad præsentiam propriæ cognitionis retorquet, ac revocat: nec alternat, ut tu existimas, nunc hoc, nunc illud prænoscendi vices: sed uno ictu mutationes tuas manens prævenit, atque complectitur.

Ex quibus omnibus tamen perperam inferres: voluntatem esse ens independens. Nam Deus auctor voluntatis eam ita creavit, ut ab ipso dependere voluerit in volendo, non tamen eligendo.

§. VIII.

Nec legibus obtemperandi necessitas obstare possunt.

Minimè verò huic hominis libertati, necessitas obtemperandi legi internæ repugnat, nam ille solus libertate sua rectè utitur, qui legibus per rationem à Deo promulgatis actiones conformare annititur. Hanc in rem præclare philosophatur Arrianus Epicleti explicator (l) nihil esse in homine libertate voluntatis divinius, libertatis verò esse summum fastigium appetitum suum Deo obedientem præbere. *Rationi scilicet, ut cum Plutarcho (m) loquar, qui parent, soli digni sunt, qui pro liberis habeantur, soli enim hi vivunt, ut volunt, qui quid velle debeant, didicerunt. Et legum idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus. (n)*

§. IX.

Ut autem voluntas liberè agere possit, plura requiruntur:

UT autem voluntas verè liberè operari possit, quatuor concurrant oportet. (o) I. Ut cognitio indifferens voluntati præluceat, talis videlicet, à qua objecti tum bonitas, tum malitia atque adeo motivum alliciens, & retrahens voluntati repræsentetur; sola enim bonitas, si appareat, voluntas motu naturali, non libero, (libertate indifferentiæ,) in bonum rapitur. II. Ut voluntas non sit determinata ad unum actum, sicut rerum inanimatarum natura. Voluntati enim conveniunt plures actus, ut velle, nolle, & utrumque istum actum suspendere, & aliis potentiis imperare, ut decreta ipsius exequantur. III. Ut ipsa se determinet, nec aliunde vis vel necessitas ei inferatur ad hoc, ut determinetur contra, vel præter suam naturam, vel ut aliter se determinet, quàm proprio, & naturali suo motu. IV. Denique ut causa prima concursu suo simultaneo causæ secundæ auxilium præstet ad agendum. Solet autem concursus definiri, influxus, per quem Deus causis secundis cooperatur, in quantum cum illis eundem effectum producit tanquam superior, & universalior. Unde concursus ejusmodi non movet, nec applicat intrinsecè causam creatam, imò non recipitur in illa, sed tantum in effectu, ideoque per illum Deus nihil intrinsecè ponit in agentibus creatis, nec propriè facit, ut faciant, sed solum ipsis ex se agentibus cooperatur. Deinde dicitur talis con-

(k) Lib. 5. profa. 6. de consolat. Philosoph.

(l) L. 2. c. 10.

(m) L. de audit.

(n) Cicero in orat. pro cluent. c. 35.

(o) Gletle cit. loc. §. 4.

concurfus de fe indifferens ad producendum, ideoque ut efficax fit, & hunc potiùs quàm alium effectum producat, expectat creaturæ cooperationem, cui etiam fic fe attemperat, & accommodat, ut cum igne ignem, cum volente volitionem, cum nolente nolitionem producat. Difficultates hîc occurrentes Philofophis enodandas relinquimus.

§. X.

Libertati voluntatis nihil magis obest, quàm defectus rationis usûs,

EX hucusque dictis liquido apparet ad plenum libertatis exercitium necessario requiri perfectum rationis usum. Rectæ enim rationis munus est, ut tam bonitatem quàm malitiam objecti à voluntate præcogniti exactè perpendat, & examinet. Ut enim actu libero prosequar objectum bonum, vel malum, præcedere debet ratio definiens ac determinans tam bonitatem, quàm malitiam objecti. Nisi enim intelligam, quid in hac vel illa circumstantia bonum, vel malum, honestum, vel inhonestum sit, bonitatem vel malitiam objecti voluntariè, & liberè appetere, vel averfari nequeo, cum nihil volitum nisi præcognitum. Consequenter recta ratio, vel dictamen practicum verum, & moraliter certum definiens, & determinans honestatem, vel malitiam objecti omnem actum humanum, seu moralem adeoque imputabilem præcedere debet. Qui ergo perfectè rationis usus expertes sunt, actionis verè moralis capaces esse nequeunt, quo merito referendi sunt infantes verè tales, furiosi, mente capiti, dormientes, perfectè ebrii &c. qui mentis exilium passi sunt: hi enim omnes ignorantibus omninò similes sunt, qui neque intellectum, consequenter nec voluntatem habere censentur, & sic eorum actiones invitæ, vel involuntariæ audiunt. *

§. XI.

Et coactio violenta, qua voluntatem omninò tollit.

Porro libertatem voluntatis tollit coactio, seu vis cogens, ut actio reluctante voluntate scienter suscipiatur, quæ definiente Jurisconsulto (p) est majoris rei impetus, qui repelli non potest. Convenit hæc definitio coactioni propria, quando scilicet violentia ita procedit ab extrinseco, ut patiens non tantum nihil conferat, sed toto conatu resistat, ac reluctetur. Sic v.g. si resistenti mihi manum abripias, illaque Titium percutias, vim absolutam patior. Tamen si enim manus mea instrumenti vicem sustineat, resisto tamen, quantum possum, neque agendo ad ipsam percussorem concurro, sed reluctans & invitus præcisè pati debeo, ut respectu agentis seu percutientis manus mea instrumenti loco se habeat. Hinc hæc actio respectu mei est prorsus invita & involuntaria. Coactio impropria est, quæ incumbente graviore necessitate ex duobus, minùs malum eligendum homini liberum relinquit, uti scilicet contingit in metu, qui est passio animi imminens periculum fugientis. Hæc cum voluntaria actione coincidit, quia homini libertatem eligendi relinquit. Cum involuntaria in eo convenit, quod voluntas utrumque malum seorsim consideratum averfetur. Hinc talem coactam actionem mixtam appellant, quia quamvis non agere mallems, nisi nobis repræsentaretur malum atrocius,

E e 2

volun-

* Hîs principiis innituntur, l. 5. ff. de serv. præd. urb. l. 45. §. 5. ff. de ritu nupt. l. 4. ff. de divort. l. 2. §. 2. ff. solut. mat. l. 14. ff. locat. l. 6. §. 7. ff. de re milit. l. un. l. siquis Imper. mal.
(p) L. 2. ff. quod vi, metuve causa.

voluntas tamen hanc actionem verè decernit. Hinc non malè philosophati sunt Juris Consulti (g) veteres, dum coactum etiam *velle* statuerunt. Sic mercator coorta tempestate merces projiciens in mare voluntariè eligit jacturam mercium tanquam minùs malum jacturâ vitæ. Quod eleganter explicat Arrianus ad Epictetum (r) ac inquit: *quis, qui mihi mortis proponit metum, me cogit, profecto non, quod imminet, in causa est, sed quia tibi satius videtur aliquid eorum facere, quàm mortem oppetere. Quare sua opinio te cogit, id est voluntas vicis voluntatem.* Actio igitur à coactione propria procedens revera invita, & involuntaria secundùm quid dici meretur, quibus leges positivæ effectum moralem nunquam largiuntur. In cæteris verò actionibus à coactione impropria provenientius impropriè tantùm invititis, quarum materia moralis, seu lege interdicta est, judicis arbitrio continetur, ut æstimet, quousque pœnam mereatur, qui metu intentati alicujus periculi se compelli passus est.

Quòd si verò actiones indifferentes, quas exercere, vel omittere in cujus vis arbitrio positum est, ex coactione suscipiantur, destituuntur effectu, si ingens inde præjudicium in agentem redundaturum est, præsertim si ea sit negotii indoles, ut omnimodam in voluntate libertatem requirat, quò seposita omni subtilitate respexerunt leges (s) matrimonium metu contractum nullum declarantes.

Cæterum coactio moralis à metu legum profecta; utpote justa, actionem omnino voluntariam relinquit. Hinc tales actiones ab imputatione omnino immunes haud sunt, quamvis subinde propter duram necessitatem, comiserationem, excusationem, vel mitigationem pœnæ in foro humano mereantur.

§. XII.

Sunt præterea alia, qua libertatem voluntatis quidam non tollunt, sed in transversum agere solent, ut hominis temperamentum,

PRæterea multa adhuc sunt, quæ libertatem voluntatis sollicitare, inclinare, oppugnare, & in unam potius quàm in alteram partem magnetis instar pertrahere, ac in transversum agere solent, *animos nostros, si oratori Romano (t) credimus, parens, nutrix, Magister, Poëta, scena depravant, multitudinis consensus abducit à verò. Animis omnes tenduntur insidia, vel ab iis, quos modo enumeravi, qui teneros & rades, cum acceperunt, insciant, & flectunt, ut volunt, vel ab ea, qua penitus in omni sensu implicata insidet, imitatrix boni, Voluptas, malorum autem mater omnium. Cujus blanditiis corrupti, qua natura bona sunt, quia dulcedine hac & scabie caret, non cernimus satis. Ut autem hæc non satis cernamus, non ratò glaucoma objicere solet corporis constitutio, seu temperamentum ex diversa sanguinis, & humorum mixtura, variæque fibrarum, vasorum, & pulsuum dispositione proveniens, & corpus humanum constituens: unde non tantùm diversus sanguinis motus, sed & diversæ animi propensiones & inclinationes emergunt. Mens enim humana ob arctissimam cum corpore unionem his ita afficitur, excitatur, & in partes quasi sollicitatur, ut ad suscipiendam hanc, vel illam actionem temperamento congruam, proclivitate quadam naturali ruere videatur. Hinc Galenistæ ajunt: mores animi sequi temperamentum corporis. Et ideo cum motus sanguinis in colerico sit expeditissimus, mens quoque se effert, & spe plena sibi ipsi placet, tanquam domicilio egregio instructa. Mens sanguinei ob placidum*

(g) L. 21. §. 5. ff. quod met. caus.

(r) L. 1. cap. 17.

(s) Cap. 15. de spons.

(t) L. 1. c. 17. de leg.

cidum sanguinis motum semper hilaris est. Mens *melancolici* ruinosum habitans domicilium tuta omnia timet. Denique animus *phlegmatici* veluti angusto inclusus Tuguriolo ad omnia tardus, & languidus est. Causæ autem temperamenti diversæ sunt, parentes, circumfusus aër, cœli temperies, ætas, morbus, vitæ ratio, sexus, affectio alicujus partis principalis &c.

Inde venit, quod ex varietate locorum, anni temporum, alimentorum, ætatum, vitæ generum, varii nascantur mores, & diversæ voluntatis inclinationes animique perturbationes. Inde teste Poëta: (u)

*Nulle hominum species, & rerum discolor usus
Velle suam cuique est, nec voto vivitur uno.*

Hinc alius est character puerorum, alius juvenum, alia iterum virorum studia, aliæ denique propensiones senum. (x) Atque hæc inclinationum naturalium varietas, non tantum in singulis hominibus, sed etiam integris nationibus conspicitur: neque mirum est, nationum integrarum diversa esse temperamenta; cum hæc quam maximè dependeant à sanguinis temperie, quæ præcipuè ab aëris, & cœli constitutione, climatumque diversitate alteratur. Hinc mores (y) Germanorum, Gallorum, Italorum, Hispanorum &c. diversissimi. Interim contra nationis vitia nihil temerè pronuntiandum esse, prudentia dicitur. Neque tamen hæc ingenii dispositiones, & animorum propensiones ac morbi in eam vim evalescere poterunt, ut liberum voluntati arbitrium eripiant; semper enim licebit urgenti genio repugnare, & tanquam ruptis carceribus in liberiores se agendi campum asserere, ac præsentissimo rectæ rationis remedio hos morbos sanare. Nam (z)

Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit.

Si modo culturæ patientem commodet aurem.

Quo pertinet exemplum Socratis à Cicerone relatum, (a) cum multa, inquit, in conventu vitia collegisset in eum Zopyrus, qui se naturam cujusque ex forma perspicere profitebatur, derisus est à cæteris, quæ illa in Socrate vitia non agnoscerent: ab ipso autem Socrate sublevatus, cum illa sibi signa, sed ratione à se dejecta diceret. Quod ni ita foret, nemo citra summam iniquitatem reus agi posset criminis, ad quod committendum à natura proclivem, & propensum se esse diceret. Naturales causæ in homine propensiones tantum efficiunt, voluntatem tamen non cogunt.

§. XIII.

Huic etiam referri debent affectus & passionis animi,

Temperamentum corporis sequuntur motus animi, qui dicuntur affectus: & sunt motus voluntatis humanæ circa objecta sive jucunda & accepta vel adversa, præterita sive absentia, sive cupiendo sive fugiendo, orti è vehementibus rerum externarum in cor hominis factis impressionibus, & ex iis consecuto sanguinis motu: vel brevius dici possunt commotiones voluntatis, vel appetitus ex representatione boni, vel mali veri, vel apparentis ortæ. Quin maximum habeant robur inclinandi hominem ad certum actionum genus

Ff

(u) Pers. Satyr. 5. v. 53.

(x) Commendandus hic merito Horatius qui in art. Poët. v. 158. & seqq. varios hos affectus graphicè exprimit.

(y) De vitiis & characteribus nationum videri potest Barclaii Icon animorum Germanis tamen, nisi me nationis amor fallit, nimium iniquus. Cui jungendus Scipio Claramontius de conjectandis cujusque moribus, & affectibus l. 4. c. 6.

(z) Horatius l. 2. Epil. 1. versu 39. & 40.

(a) Tuscul. quæst. l. 4. c. 37.

nus nullum potest esse dubium. Quemadmodum enim affectus per objecta convenientibus organis recepta excitantur, ita veluti laqueos voluntati injiciunt, irretitamque magna vi propellunt ad prosequendum bonum, quod vel sub specie *inmundi*, vel sub specie *utilitatis*, vel sub specie *honestatis*, se sistit, & apparet, quorum primum membrum voluptatum desideria, secundum habendi cupiditatem, tertium vanæ gloriæ consecrationem, & iracundiam complectitur; qui sunt tres illi appetitus, & affectus principales, in quibus inest illa vis, de qua rectissimè cecinit Ovidius: (b)

Sed trahit invitam nova vis, aliudve cupido
Mens aliud suadet, video meliora, proboque,
Deteriora sequor.

Enim verò nec horum esse potest tam despoticum imperium, quin eo excusso in diversam ire partem, & meliora sequi liceat. Nam juxta Cartesium (c) nulla tam imbecilis est anima, quæ non possit, cum dirigitur, acquirere potestatem absolutam in suas passiones. Digna quæ Christiano cordi imprimantur, hanc in rem habet Seneca: (d) *Scis, quare non possumus ista? quia nos posse non credimus. Imò me hercle aliud est in re, vitia nostra, quia amamus, defendimus, & malumus excusare, quàm excutere.* Satis natura homini dedit roboris, si illo utamur, si vires nostras colligamus, ac totas pro nobis, certè non contra nos concitemus, nolle in causa est: non posse prætenditur. Et iterum: (e) atque nihil est tam difficile, & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducatur assidua meditatio, nullique sunt tam feri, & sui juris affectus, ut non disciplina perdomentur: quodcunque sibi imperavit animus, obtinuit. Tumultuantes ergo affectuum stimulos legitimo rectæ rationis Imperio subjacere, & in ordinem redigi posse, & debere, negari non potest, nisi quis prudentissimos legislatores iniquitatis reos agere velit, quòd in procacem scortatorem, iracundum homicidam, cupidum Euclionem constitutis poenis animadvertere soleant.

Hinc audiendi non sunt stoici, qui omnes passiones, seu affectus ex homine tollere satagunt, quo ipso se virtutem è medio tollere non satis intelligunt. Nam si virtus est, in medio iræ impetu seipsum cohibere, ac reprimere, quod negare non possunt; caret ergò virtute, quisquis ira caret. Si virtus est, libidinem corporis continere, virtute careat necesse est, qui libidinem, quam temperet, non habet; ubi ergo passiones, affectusve non sunt, nec virtuti quidem locus est; sicut nec victoriæ quidem, ubi adversarius nullus est, ita fit, ut bonum sine malo in hac vita esse non possit. Affectus igitur, quasi ubertas est naturalis animorum. Nam sicut in sentes ager, qui est natura sæcundus, exuberat: sic animus incultus vitiis suâ spontè invalescentibus velut spinis obducitur. Sed cum verus cultor accesserit, statim cedentibus vitiis fruges virtutis oriuntur. Deus itaque cum hominem fingeret, mirabili providentia ingeneravit ei prius istas animi commotiones, ut posset capere virtutem, sicut terra culturam, posuitque materiam vitiorum in affectibus, virtutis in vitiis.

§. XIV.

Quibus omnibus accedit peccandi consuetudo,

Denique affectus non perdomiti transeunt in mores, qui nihil aliud sunt, quàm propensiones ex temperamento ortæ & diuturna consuetudine per actus sæpè repetitos contractæ, & confirmatæ. Ex qua crebra actuum

(b) Metam. 7. v. 19. sq.

(c) De passionibus animi.

(d) Epist. 116. in fin.

(e) L. 2. c. 12. de ira.

actuum repetitione consuetudo nascitur, cujus tanta est vis, ut non citra rationem alteram naturam constituere dicatur, ut rectè dixerit Horatius:

Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret.

Quo frequentius enim actus in aliquo genere exercetur, eo proclivior homo ad eundem suscipiendum efficitur, ut inferiores facultates, veluti non expectato iudicio intellectus, iussuque voluntatis in objectum ruant. Eximie S. Augustinus (f) è sublimiore disciplina hoc exprimit: *velle meum* tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, *facta est consuetudo*: & dum consuetudini non resistitur, facta est *necessitas*, quibus quasi annulis quibusdam sibi annexis tenebat me obstrictum dura servitus. Non tamen usque adeo dura, & ineluctabilis videri debet hæc servitus, quin homo ex illa se ipsum manumittere, & in plenam libertatem asserere queat, nisi sibi ipsi diutius sub ipsius jugo morari complacet. Hic mihi illud Imperatoris, quod de consuetudine legali dicit, applicare liceat. Consuetudinis usque longævi non vilem auctoritatem esse, verum non usque adeo sui valituram momento ut aut rationem vincat, aut legem. Difficile quidem est, habitum iteratione vitiorum contractum exuere, novumque virtutis induere: vires tamen rationis excedere minimè credendum est, si in deponenda consuetudine tantam diligentiam, & curam adhibeas, quantam in contrahenda adhibere lubuit. Apprimè ad rem Epictetus apud Arianum. Ecquidnam appetitionem vincere potest? alia appetitio. Ecquidnam inclinationem, ac propensionem? profectò alia inclinatio, ac propensio.

§. XV.

Quid denique sit directè, & indirectè voluntarium delaratur.

EX hæcenus tractatis luculenter apparet, quid sit voluntarium liberum: nunc pauca quædam de voluntario directo, & indirecto subjungenda sunt. *Directè voluntarium* est, quod à voluntate per se, & primario intenditur, ut *circumstantia, & eventus ab agente intelligantur, & expectantur*. Hinc si eo animo Titio vulnus infligam, ut exinde mors sequatur, mors Titii censetur directè mihi voluntaria, quia respectu actionis meæ sustinet rationem finis, & motivi. Imò etiam eo in casu actio directè voluntaria esse iudicabitur, quando objectum directè intentum est realiter, & necessario connexum cum damno alterius, licet hoc primaria intentione non attingatur. Pro uno enim damno haberi debet, quidquid mali ex aliquo damno, *naturali quadam necessitate* profluxit. Hinc qui ictu valido uterum fæminæ prægnantis eo fine percutit, ut matrem perimat, censetur directè velle necem infantis, quia percussio uteri prægnantis, & infantis occisio sunt realiter & necessario connexæ, & finis directè intentus scilicet occisio matris est inseparabilis à medio, scilicet occisione prolis. *Indirectum voluntarium* dicimus, quod à voluntate per se & primario quidem non intenditur, per consequentiam tamen venit, & connectitur cum aliquo, in quod voluntas primaria intentione fertur. Sic si intempestiva misericordia ductus servum vinctum è vinculis eximam, damnum inde proveniens indirectè censetur mihi voluntarium, (g) quia liberè pono causam, ex qua certitudine morali damnum sequitur, adeoque in ipsa causa præiudicium domini mihi censetur voluntarium: qui enim liberè vult causam, censetur quoque virtute, ac indirectè velle effectum, qui ex causa illa sequitur. Modò cognita fuerit connexio, vel cognosci debuerit, & potuerit,

Ff 2

rit,

(f) Confess. l. 7. c. 7.

(g) L. 7. §. 7. ff. de dol. mal. l. 7. pr. ff. de pos. l. ult. §. 2. ff. de custod. reor.

rit, (utpote non merè fortuita) quæ datur inter objectum directè intentum, ac effectum, qui sequitur, nihil enim volitum, nisi præcognitum. Hinc si quis insulam voluerit meam exurere, & ignis etiam ad vicini insulam pervenerit: aquilla tenebitur etiam vicino, non minùs etiam inquilinis tenebitur, ob res eorum exultas. Et qui putando arborem propè viam publicam ramum dejecit in prætereuntem, à culpa non excusatur, & damnum indè secutum utpote indirectè voluntarium, quia illud prævidere debuit, & potuit, illi jure imputatur, (b) qui enim de actu, sive deinde directè, sive indirectè sit voluntarius, tenetur, simul tenetur de his, quæ illum exactùs vi sunt consecuta.



C A P U T VII.

De actionum humanarum imputatione.

§. I.

Actionem humanam consequitur imputatio,



Actionem humanam seu moralem, quæ prælucente intellectu, & discernente voluntate suscipitur, consequi *imputabilitatem*, seu quod agenti in bonum, vel malum imputari possit, tam certum & evidens est, quàm indubitatum & luculentum dari actiones humanas bonas, & malas, laude, & vituperio, præmio, & poena dignas. Est autem *imputare* termino arithmetico idem, ac in rationes alterius aliquid referre.

Jurisconsultus verò *imputare* idem dicit, ac aliquem *pro auctore facti habere & declarare*. Non potest autem aliquis pro auctore facti haberi & declarari, nisi factum illud ab ejus voluntate liberè fuerit susceptum. Hinc in facti investigatione semper quæritur, cur quis sit auctor? quæ fuerit voluntas, quanta & qualis? quæ obligatio, quanta, qualis, quæ animi intentio contrahentium? quantum juris unicuique competat, quamdiu & quo tempore, quantum deliquerit? in quantum justus fuerit, & subditus obediens? in quantum contumax? quæ universa, cum sine numeratione, dimensione, & comparatione nec percipi nec definiri possint: satis indicant, cur Jurisconsulti hunc terminum arithmeticum *imputare* ad æstimandas hominum actiones & obligationes transtulerint, eoque tanquam mensura morali in omnibus negotiis dimetiendis convenientissimè uti voluerint.

§. II.

Qua describitur, & explicatur,

IN sensu modo explicato imputatio accuratè describi potest: quòd sit ratiocinatio, qua factum alienum, omnesque ejus circumstantiæ cum lege sive divina sive humana comparantur, actionemque illam, effectum à lege propositum sive bonum, sive malum, mereri declaratur. Ex qua definitione sequitur. I. Imputationem esse ratiocinationem circa factum alienum, & in hoc distingui à conscientia, quæ circa examinandum factum proprium versatur. Con-

(b) Ita Jurisconsulti Romani l. 27. §. 8. item §. 5. Inst. & l. 31. ff. ad L. aquil.

Convenite autem in eo, quod *imputatio* sicut conscientia in applicatione legis ad factum & in facienda utriusque comparatione inter se, Syllogismum imitetur, cujus in majore propositione *lex*, in minore *factum*, in conclusione *sententia* occurrit. Sic rectè ratiocinabitur judex cum Caino quodam: qui fratrem suum occidit mortis reus est: En legem! Cain fratrem suum occidit, en factum! ergo Cain mortis reus est: en sententiam. Cum autem omnis sententia vel condemnare vel absolvere debeat: minima verò circumstantia casum mutet, consequenter etiam juris applicationem & causæ decisionem variet: sequitur ulterius. II. Imputanti omnes facti circumstantias debere esse perspectissimas, & quia jus vel divinum vel humanum est, & factum vel cum hoc, vel cum illo, vel cum utroque convenire, vel disconvenire potest: consequens est. III. Imputationem tam *in foro interno* quàm *in foro externo* vires suas exserere, hoc tamen servato discrimine, quod in foro interno omniscius judex solum animum & voluntatem benè vel malè agendi intueatur, & in bonum vel malum imputet. Sic qui aspicit mulierem ejus concupiscendæ gratia, adulterium jam commisit, & qui fratrem suum odit, homicidium: in foro autem externo neque hic, neque ille adulter aut homicida est. Naturæ enim humanæ congruum non est, ut ex actibus merè internis jus & obligatio nascatur. Aliter leges, aliter Philosophi tollunt astutias: leges, quatenus manu res tenere possunt: Philosophi quatenus ratione & intelligentia. Ideo Jurisconsulti (a) cogitationis pœnam neminem pati rectè pronunciarunt. Nisi non tam de damno vitando, quam de ipsius criminis foeditate agatur. (b) Aliàs multùm refert, utrum conatus à principio interno, hoc est mutatione voluntatis, quam pœnitentiam dicimus, an verò ab externo, puta casu, vi majore, aut humana opera fuerit impeditus. Tunc locum habet illud Senecæ Patris in controversiis: *scelera quoque quamvis citra exitum subsederunt, puniuntur, & injuriam, qui facturus est, jam facit*, ait alter Seneca. Et non exitum rerum sed consilia legibus vindicari dixit Cicero pro Milone: Ideo Romani Regi Perseo bellum inferendum esse censuerunt, nisi satisfaciat de consiliis belli parandi adversus populum Romanum initis, quia scilicet arma, milites, classem jam comparaverat. (c)

Hoc tamen non obstante actus interni, quatenus in externos influunt, in imputationem & æstimationem veniunt, non sui propriè, sed actuum externorum, qui inde meriti sui qualitatem accipiunt. Sed nec omnis tamen perversa voluntas facta jam aliquo indicata, pœnæ humanæ locum facit. Et quoniam jus utrumque divinum & humanum non solum metu pœnarum, sed præmiorum quoque exhortatione bonos efficere cupit. Hinc denique IV. Inferimus actionem bonam & legibus conformem tanquam causam producere effectum bonum, actionem verò legibus difformem & malam, effectum malum, illamque consequi præmium & laudem, hanc culpam & pœnam.

§. III.

Quamvis diversi imputationis effectus pro diversitate injustitiae actionis sequantur,

Sedulò tamen advertas velim, quod alius effectus sequatur, si actio ob culpam, alius si ob delictum sit injusta. Naturaliter quidem justum est, & ut injuria puniatur, & ut damnum, quod injuria datum est, resarciatur:

Gg

tur:

(a) L. 18. ff. de pœnis.

(b) Vid. l. 5. Cod. ad L. J. M. l. 1. ff. ad L. Pomp. de Parric. l. 1. ff. ad L. Corn. de sicariis.

(c) Liv. l. 42. c. 30.

cur: non tamen semper, ubi damni obligatio est, etiam delictum est: sed tum demum, si quæ malicia notabilior accesserit, cum ad damni dati obligationem sæpè quæcunque culpa sufficiat. Hinc commodatarius, cujus culpa equus perit, tantum id, quod interest, equum non periisse, præstare tenetur. Si quis autem maritum occidit, uxori & liberis damnum inde proveniens, quantum potest, reparare, & simul poenam à legislatore statutam subire debet. Per homicidium enim mariti non tantum læduntur uxor & liberi, sed etiam Respublica, seu legislator. Uno ergo remittente jus suum, alteri salvum manet, quia uterque, sed diversimode, imputat; Justitia enim commutativa non tollit vindicativam, & vicissim, quia aliud est vitiositas actus: aliud ejus effectus. Illi respondet poena: huic reparatio damni. Ex quo simul patet, casu quo plurium interest actionem fieri, vel non fieri, si unus non imputet, cæterorum tamen jus non expirare. Ita transactio de crimine capitali inita publicæ accusationi non obest.

§. IV.

Omnis tamen imputationis fundamentum in libertate voluntatis consistit,

Fundamentum imputationis actionum moralium consistit in libertate voluntatis circa agenda, seu quod in facultate & potestate alicujus positum sit, actionem edere vel omittere. (d)

Propior enim causa, cur quis pro auctore facti haberi & declarari possit, & de effectu inde secuto participare debeat, reddi non potest, quam quod illud sciens & volens susceperit, liberòque suo concursu mediato aut immediato produxerit. Ubi ergo nulla voluntas, libertas, consensus ibi nullus imputationi locus erit. Cum tamen subinde effectus actionis bonæ in alium derivetur, quam qui illius actionis auctor est, oritur divisio imputationis in eam, quæ ex gratia, & quæ ex debito fit. Sic omni die contingit, quod propter bonè merita patris filius aliàs minus aptus officium consequatur. Sic multis lucro est nobilitatem à majoribus acquisivisse. Sic ingens meritum & in posteris quoque pensandum effecit interdum, ut regna fierent hæreditaria. Ex quo tamen perperam inferres: si æquum est posteros præmia accipere, & honores ob merita majorum, ideo etiam iniquum non esse, ut ob eorum peccata puniantur; beneficii enim talis est materia, ut in quemvis conferri sine injuria possit, poenæ non item. Poena enim infligi non potest ob delictum alienum; obligatio ad poenam ex merito oriatur, quod est, mere personale, utpote ex cujusque propria voluntate ortum habens.

§. V.

Hinc etiam nemini delictum alienum ad poenam verè talem imputari potest.

Imputatio ergo ex debito proprio tantum poenæ verè tali locum facit, quia obligatio ad poenam oritur ex merito, quod est aliquid merum personale, cujus fundamentum stat in cujusque voluntate propria, quæ nisi ex motu intrinseco vitium contrahere non potest. Hinc enata est regula certissima, nullique exceptioni obnoxia: neminem sceleris purum, immunemque ob alienum delictum puniri posse, quam legibus tam divinis (e) quam humanis

(d) Conf. Azor. Instit. Moral. l. 1. c. 21.

(e) Deuter. 24. v. 16. Ezech. 18. v. 20.

nis (f) populorum morationum consensu comprobata invenimus. Ne tamen imago poenae, ubi poena verè talis non est, incautos fallat, probè distinguendum erit, inter damnum *directè* datum, quo alicui auferitur id, ad quod *Jus proprium* habuit: & damnum, quod per *consequentiam* venit. Quo fit, ut quis non habeat, quod habiturus alioquin fuisset, *cessante scilicet conditione*, sine qua jus non habebat.

Porro accidit, ut interdum alicui inferatur aliquid mali, aut boni aliquid auferatur, occasione quidem alterius peccati, sed non ut id peccatum causa sit proxima ejus actionis, quod Jus ipsum agendi attinet, verum sua cujusque libera & spontanea promissio.

His præmissis rectè inferitur, poenam propriè dictam non esse, si liberi confiscatis parentum bonis sentiant incommodum, quia illis non tam bona ipsa eripiuntur, quam *spes* de illis, quam *incerti boni nomen esse*, appositè dixit Seneca. (g) Sic cum ex delicto majoris partis, quæ jus integri corporis habet, & personam universitati sustinet, universitas in culpa, & ideo poenâ digna est, eo nomine amittat, quæ habet communia, ut ærarium, agrum publicum, muros, arma vel omnino libertatem civilem, aliâque inde profluentia commoda, etiam singuli innocentes sentiunt damnum, sed ea in re, quæ ad ipsos non nisi *per universitatem* pertinebat. Si autem singulis ob delictum universorum citra consensum suum eriperentur ea, quæ singulorum sunt propria, injustum foret, pertinet enim culpa tantum ad illos singulos, qui consenserunt, quæ non extendi potest ad eos, qui aliorum sententiis victi sunt. Hinc etiam distinctæ debent esse poenæ singulorum, & universorum: priorum gravissima poena est mors naturalis: posteriorum civilis, quæ tunc accidit, cum dissolutò civili vinculo corporis ratio deficit.

Cæterum negari nequit in societatibus subinde socio imputari, quod citra ipsius culpam accidit, quod in repressaliis contingit, quando scilicet propter Justitiam in causa gravi & liquida extraneo denegatam, vel malitiose protractam, Reipublicæ nocentis subditi, vel subditorum bona apprehenduntur, & detinentur. Quod tamen ipsum, si res penitus inspiciatur, consensui singulorum in societatem civilem coeuntium originem debet. Et hoc modo etiam fidejussor occasione alieni peccati, malum pati potest, non ex delicto, sed ex sua promissione, quæ tamen ad mortem pro delinquente tubeundam extendi nequit, quamvis hac de re veteres Græci & Romani aliter senserint. Uti ex Damonis & Pythiæ historia notum est. (h)

Sed neque hæres ad poenam pro defuncto tubeundam tenetur, nisi nova causa, puta, lata sententia, vel litis contestatio, accedat. Hinc jure Romano, utut aliàs actio poenalis ad hæredem non transeat, (i) transit tamen, si post litem contestatam reus moriatur, (k) quia acceptò judicio contrahitur, (l) & per litis contestationem prior obligatio novatur, (m) hinc ex sententia oritur iudicati obligatio (n) ex qua competit actio iudicati, quæ rei persecutoria est, (o) quare sicut ex aliis contractibus defuncti, ita etiam ex hoc hæres obligatur, quamquam non nisi fictione Juris, & quoad effectum contractus naturam habeat. Unde nec ad qualescunque, sed solum ad poenas pecuniarias pertinet. Et omnis denique vis repræsentationis inter defunctum & hæredem consistit in bonis, quibus sublati cessat fictio.

G g 2

§. VI.

(f) L. 26. ff. de poenis. l. 22. cod. Eod. add. l. 17. §. 1. de Jure Patro. l. 7. de bon. Damnat. tot. tit. cod. ne fil. pro Patre.

(g) Epist. 10.

(h) Cicero de off. l. 3. c. 10.

(i) Inst. de perpet. & temp. act.

(k) L. 35. ff. de obl. & art.

(l) L. 3. §. 11. ff. de pecul.

(m) L. 11. §. 1. l. 29. ff. de Novat. l. 3. cod. de usur. rei jud.

(n) D. l. 3. §. 11. de pecul.

(o) L. 6. §. ult. de re jud.

§. VI.

Actio moralis ergò nulli alii, nisi ei, qui ejusdem auctor immediatus, vel mediatus reipsa est, vel esse præsumitur, imputatur,

Quòd si ergò constet actionem esse humanam seu moralem, adeoque imputabilem: & præterea manifestum sit, & scientiam & voluntatem in agente adfuisse, aut saltem adfuisse præsumatur: adeoque dubium non sit, actionem talem ex proæresi susceptam agenti imputandam esse: his suppositis examinandum superest, an ea actio tanquam moraliter mala & injusta imputari debeat? imputatur autem homini actio tanquam moraliter bona & justa, si neque in scientia, neque in voluntate ullus defectus appareat, tunc autem nullus censetur adesse defectus, si intellectus sufficienti juris vel præcipientis vel prohibentis, vel permittentis notitia, & clara omnium circumstantiarum facti cognitione sit imbutus: voluntas verò excitata à bonitate vel malitia objecti se ipsam velut moveat, & ad agendum, vel non agendum cognito fine, cum intentione, & proposito liberè se determinet, ac id, quod sic placuit, exequatur. Ita enim agens verè auctor fit effectus, qui actionem sequitur; quippe quæ sine illius proposito futura non fuisset.

Unde pro regula est habendum: bonum morale habere bonitatem suam in voluntate operantis, adeoque à voluntate ad imputationem affirmativè & negativè argumentum valere.

Hinc actionis humanæ moralis perfectio, seu actio moraliter bona & justa tam ex bonitate agentis, seu intentione, ac proposito agendi recto, quam ex bonitate actus, seu objecti, & congruentia reliquarum actionis circumstantiarum cum recta ratione & lege componitur, & perficitur. Et hoc est, quod dicunt actionem bonam non tantum moraliter, sed & formaliter bonam esse debere. (p) Si ergo actio nulli imputatur, nisi ei, qui ejus causa vel auctor est, vel esse præsumitur: homo verò causa illius actionis dici nequeat, quæ non humana est, id est, quæ non prælucente intellectu, decernentèque voluntate *immediatè*, vel *mediatè* suscipitur, evidens redditur, imputationi locum esse non posse, si vel utrumque essentialia humanæ actionis principium, scilicet intellectus, & voluntas, vel alterutrum deficiat.

Prius contingit in illis, qui omni rationis usu carent. (q) Posterius: si debita juris & facti notitia, & circumstantiarum cognitio vel libertas desit. Si verò & intellectus & voluntas ritè se habeant, & ad perpetrandam actionem concurrant, actio verè humana, adeoque imputationis capax nascitur, & quidem, si præter intellectum & voluntatem ipse etiam motus corporis Physicus accedat, ille, qui actionem ipse edit, vocatur *causa actionis Physica*. Si sola mens sine motu corporis Physico operetur, *causa moralis* appellatur: utroque tamen modo quis verè agere dicitur, nam aliud est agere verè: aliud agere physicè: omne agere physicè est verè agere, sed non omne verè agere, est agere physicè.

Ut paucis constringam: homo vel per se, vel per alios agit, vel non agit; & hinc est actionis vel omissionis auctor, vel *immediatus*, vel *mediatus*. Deinde intellectus & voluntas ad utrumque simul plenè concurrunt, vel unum ex his principii actionis humanæ deficit, vel utrumque: & sic pro diversitate immediatæ, vel mediatæ actionis & principiorum variat Imputatio. Ex præmissis his veritatibus plurimæ aliæ consuetudinum instar manant, quarum præcipuas nunc in medium afferam.

§. VII.

(p) Azor. Inst. moral. l. c. 5.

(q) L. 12. ff. ad l. Cor. de sic. §. 10. instit. de inutil. stipul. c. 2. de delictis puerorum.

§. VII.

Hinc impossibilium nulla datur imputatio.

Cùm homo nec immediatus nec mediatuſ auctor fieri poſſit eorum, quæ obligationis incapacia ſunt: hinc impoſſibilia (r) naturâ talia imputari nequeunt, niſi culpa præcedens v. g. debitori bona ſua abligurienti æris alieni exſolutionem impoſſibilem reddiderit; quo caſu demum æquum eſt, ut qui non habet in ære, in cute luat. Si quis omittat ea, quæ pietatem & verecundiam lædunt, & moraliter pro impoſſibilibus habentur, omiſſio imputatur in laudem: commiſſio in vituperium. (s) Quod de impoſſibilibus idem de naturalibus & Phyſicis dici oportet, quæ dirigere & moderari in noſtra poteſtate non eſt. Hinc imprudenter alicui novercantis naturæ vitia exprobraveris. Aliter ſentiendum erit, ſi quis nativas animi vel corporis dotes excolere neglexerit, vel omnino ad functiones in ſocietate humana obeundas inhabiles reddiderit, ut ad nihil aliud, quàm ad conſumendas fruges natus eſſe videatur. Ex eodem Principio extra imputationem eſt, quod res vegetabiles & naturales, hos, non alios producant effectus. Sic fruſtra iraceris vento atheſino, in provincia noſtra valdè frequenti, quòd bilem excitet. Neque ægrè ferendum apro, quod agrum depaſcat, & una nocte agricolæ integri anni labores & ſudores devoret. Si tamen hæ res directioni noſtræ ſubſint, culpa eſt non avertere damnum, quod ideo ſub imputationem cadit. Sic vinitori aut agricolæ negligentis vineæ agrivæ ſterilitas imputatur, ut variegatus agnorum color paſtoris Jacobi ſolertiæ adſcriptus fuit, (t) ut ipſa lex divina veteris teſtamenti (u) damnum à bove cornupeta illatum domino eum non ritè cuſtodienti ad cœdem uſque imputandum præcepit.

Denique caſus fortuiti impoſſibilibus annumerandi, & eodem jure cenſendi ſunt; cùm nec prævideri, nec præviſi averti poſſint. Hinc iniquus foret, qui naufragium fortuitum navarcho imputaret, & ſceleri assignaret, quod venti & fluctus deliquerunt. Hanc æquitatis regulam jura Romana iterum ubique præ oculis habuerunt, quæ caſum fortuitum (x) in nullo negotio præſtandum eſſe admiferunt, niſi culpa, (y) vel mora, (z) præceſſerit, vel quis debitor rei ſingularis (a) fuerit, quo caſu v. g. in re empta non domino, ſed illi, cui debetur, res perit. Multò magis autem tunc imputabitur caſus fortuitus, ſi quis illum ſpeciali pacto præſtandum in ſe ſuſceperit, quia pacta dant legem contractibus.

§. VIII.

Et ob defectum intellectus etiam imputari nequeunt actiones hominum uſu rationis carentium,

OB defectum intellectus imputari nequeunt actiones hominum uſu rationis carentium, quia, ubi intellectus non præluceat, voluntas etiam nihil decernere poteſt, cùm nihil poſſit eſſe in voluntate, quod in cognitione priùs non fuerit. Quare actiones infantum imputationi non ſubſequentur.

H h

Unde

(r) Vid. l. 31. ff. de O. & A.

(s) Vid. l. 15. ff. de cond. Juſt.

(t) Gen. 30. v. 37.

(u) Exod. 21. v. 28. 29.

(x) L. 23. ff. de Reg. Jur. l. 23. ff. de verb. oblig. l. 6. cod. de pignor. act.

(y) L. 5. §. 4. & 7. ff. commod.

(z) L. 8. §. 6. ff. precar. c. un. de commod.

(a) L. 5. ff. de reb. cred.

Unde etiam in foro Civili infantes verè tales nunquam puniuntur, (b) nisi ante pilos sapiant, & malitia ætatem suppleat. Infantibus accensendi sunt furiosi, & mente capti, & in summo gradu melancholici, cùm voluntas crimen non habeat, ubi furore peccatur. Si tamen hi morbi non omnem usum rationis auferant, vel dilucida intervalla superveniant, actiones eorum, in quantum ratio adfuisse probari potest, imputationem non effugient. De iis, quæ antè adventum horum morborum gesta sunt, quod imputabilia sint, non est dubium. Suspendenda tamen erit pœnæ capitalis executio, donec furor cessaverit, nisi tantùm simuletur. (c)

Et quia etiam in somno rationis usus sese non exerit, hinc quæ à dormientibus, vel noctambulonibus fiunt, imputari nequeunt. Interim, si quis frequenti cogitatione, cui lubens indulset, iis, quæ in somno sibi evenerunt, occasionem dederit, & somnia quasi sponte provocaverit, culpâ non vacat. Hinc verè Claudianus: (d)

Omnia, quæ sensuvolvuntur vota diurno
Pectore sopito reddit amica quies.

Furto gaudet amans, permutat navita merces.
Et vigil elapsas quærit avarus opes.

Sic ab imputatione omnino immunes non pronunciarerem nutrices aut famulas ad curas infantum conductas, quæ in somno infantes opprimunt, neque noctambulos, si sciant se vitio isto laborare, quod scilicet dormientes surgere, & vim inferre soleant; nec tamen cubiculo se includi curarent, (e) somniantibus non ab similes sunt perfectè ebrii, vinoque sepulti: quando scilicet ebrietas omnem usum rationis abstulit, & ut Pontifex loquitur, (f) mentis exilium induxit; quamvis autem talis ebrius delinquens, propter deficientem dolum formalem à pœna ordinaria eximatur, ab extraordinaria tamen immunis non est: quin imo si ebrietas ad malum patrandum fuerit studio quæsitâ, vel ebrietatis effectus quis apud se cognitos habuerit, pœnæ ordinariæ locum esse recta ratio dicit: quia illorum actiones, ut in se involuntariæ, in sua causa tamen omnino voluntarias esse, nemo inficiabitur. Nam involuntarium ex voluntario ortum habens moraliter pro voluntario habetur.

Imò Aristoteles (g) laudat Pittacum, quod duplo majori pœna ebrios, quàm sobrios puniendos esse legibus suis constituerit. Si autem alicui quasi inadvertenti vel blandis invitationibus incitato ebrietas obreperit, veniæ locum esse debere æquitas suadet. (h)

§. IX.

Imputatio etiam variat pro diversa intellectus & voluntatis applicatione,

Nunc videndum, quomodo supposito rectæ rationis usu pro diversa intellectus & voluntatis applicatione imputatio actionis humanæ variet. Capite priori à nobis jam latius dictum fuit, quod quando mens ratiocinatur de actionibus propriis, & disquirat, utrum legi convenient nec ne? hæc intellectus operatio *conscientia* appelletur, quæ *certa* audit, si quis ita ratiocin-

(b) L. 12. ff. ad leg. Cornel. de sicar. §. 10. de inutil. stipul. & c. 2. de delic. Pueror.

(c) Paulus Zacchias quæst. Med. legal. l. 2. q. 9. & 18.

(d) Ad 6. Consul. honor. august. v. 1.

(e) L. 2. quæst. 12. n. 10. & seqq.

(f) C. 14. de vit. & honest. Cler.

(g) Polit. 2. c. 10. n. 7.

(h) Vid. l. 6. §. 7. ff. de re milit. Zacchias l. 2. quæst. 11. n. 33. & seqq.

tiocinatur, ut rem ad liquidum perducatur: *Probabilis*, si ex hypothese aliquid infert, *dubia* si vel in majore vel in minore propositione aliquid dubium superfit. Et cum eodem loco simul à nobis regulæ fuerint traditæ, quæ de obligatione conscientie dari solent; ideo nunc pro diversitate obligationis facilis erit applicatio imputationis.

Et omnium primo quidem ex regulis ibi assignatis satis constat; agenti contra conscientiam certam eò graviorem reddendam esse rationem, quo magis cognitam habuit legem, ejusque obligationem summa animi destinatione & directa intentione dolose violat. Quare talis actus non tantum ad damni penationem, si fortè quod datum est, verum etiam ad poenam subeundam pro delicti gravitate imputatur.

De conscientia probabili etiam jam supra nostram aperuimus mentem, quod illam sequi liceat, cum ad noscenda argumenta ex re petita, id est è causis, effectis & adjunctis, usu quodam & peritia opus sit, quod, quia paucis datum est, tenentur audire consilia sapientum, superiorumque jussa, ut judicium activum rectè conforment. Et hac judicium suum conformandi via illis tantum uti licitum est, quibus artium & scientiarum momenta & difficultates ediscere, & expendere non vacat, & à priori rem evidenter cognoscere aut non possunt, aut non debent.

Ex superius dictis itidem liquet, dubitante conscientia tamdiu actionem esse differendam, donec accuratiori instituto examine demum quid faciendum, quid omittendum? pro ratione circumstantiarum vel certo, vel probabiliter appareat; cum secus agens legislatorem contemnat, & eo ipso peccet. Hinc licet agens fortè fortuito in actionem legi conformem inciderit, actio tamen eidem saltem pro foro interno, ut injusta imputabitur: pro foro tamen externo, in quo materialis conformatio actionis cum lege præcipue attenditur, aliter est sentiendum. Si autem legi difformis esset, etiam pro externo foro illa actio ut injusta imputaretur, cum dubium deponere, & scientiam sibi comparare debuisset, & hinc pro sciente haberetur, quæ tamen omnia de actionibus lege præceptis, vel prohibitis intelligenda erunt. Nam in permisis è pluribus alterutram eligere cuique liberum est.

Quousque denique ignorantia & error liberet ab imputatione, ex supra tractatis facile colligi potest. Nam cum ad omnem actum malum, utpote voluntarium, requiratur quædam advertentia ad malitiam objecti, sequitur actum procedentem ex ignorantia invincibili, & inculpabili, dante causam actui, esse simpliciter involuntarium, adeoque ab imputatione immunem. Nulla enim, quæ in agentem conferri queat, hoc casu, ut diximus, culpa intervenit. Dummodo tamen fuerit ignorantia non tantum in se, sed & in sua causa involuntaria & invincibilis. Si autem seu in se, seu in causa sua error sit vincibilis, eò quod agens vel in re per se illicita, vel licita quidem, loco tamen temporæque ac modo illicito versatus fuerit, aut debitam in inquirendo diligentiam non adhibuerit, aut debito studio animum non excoluerit, actus agenti eodem modo imputatur, ac si factum legitime cognovisset. Tali enim modo operans ipsam ignorantiam voluntarie amplectitur, qui autem indirectè vult causam, censetur quoque virtute ac indirectè velle effectum. Hinc imputabitur homicidium illi, qui loco, ac tempore non licito jaculis ludens, hominem ex ignorantia occidit, quia actio, nec loco, nec tempore, quo par erat suscepta, in se illicita est. (i) Nec ignorantia te excusat, rectè decedit Pontifex, (k) si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere.

Hh 2

J. X.

(i) Vid. §. 4. Inst. de leg. Aquil.

(k) Cap. fin. de injuriis.

§. X.

Quam nec constitutio corporis, nec affectus, nec diuturna consuetudo tollit.

HActenus de intellectu. Cùm verò & voluntatem hominis liberam ad actionem concurrere oporteat, ut homo immediatus vel mediatus auctor & causa actionis dici queat: libertatem autem voluntatis nec constitutio corporis, nec affectus, nec diuturna consuetudo auferant: consequens est, nec temperamentum corporis, quod ipsum animum afficere, & prima natura excitare solet, nec motus & perturbationes animi, ut ut vehementiores ex affectibus animi propullulantes, nec denique ipsam consuetudinem, quæ ferè in alteram naturam degeneravit, impedire, quo minùs actio, inde orta agenti imputari possit. Hinc parùm catholicè sentit Grotius, (l) dicens: dari actus inevitabiles naturæ humanæ, de quibus dubitari possit, an rectè & propriè peccata dicantur. cùm libertatem, quam in specie habere videntur, in sua generalitate considerata non habeant. Sed quomodo intelligi potest peccatum sinè libertate, cùm peccatum sit deviatio & recessus à lege? qui ergo non potest non deviare & recedere à lege, quomodo peccare dicendus est? nec meliora sunt, quæ sequuntur. (m) Esse & quædam non humanæ simpliciter naturæ, sed hic & nunc inevitabilia, ob corporis concretionem in animum transeuntem, aut adultam consuetudinem, quàm quidem puniri solere admittit, sed non tam in sese, quam ob culpam præcedentem, quia aut neglecta sunt remedia, aut ultro adtracti in animum morbi. Sed jam diximus, consuetudinem consuetudine alia vinci posse & debere, adeoque singulas actiones ex habitu vitioso profectas esse in se liberas, voluntarias, & per hoc vitiosas, ac consequenter imputabiles & in se punibiles. Hinc sicut habitus virtutum majori præmio, ita vitiorum graviori pœna dignus est. Interim non negamus, quod in foro humano vehementiores affectus vel justus dolor mitigationem pœnæ suadere possint. Quanto enim graviùs lumen rationis occæcatur, & offunditur affectu vel perturbatione aliqua, ut causas avertentes videre ac ponderare nequeat, qui affectibus illis impellitur, quantoque illa perturbatio frequentior, violentior, & magis repentina est: tanto excusabiliùs delictum & leviori pœna expiandum erit.

Hinc in imputatione pœnarum probè observandum est illud monitum Grotii (n) quo animi eligentis iudicium magis impeditur, quoque magis naturalibus causis, eo quod delinquitur minoris esse. Sic utique metum accendit mali imminentis cogitatio, & iracundiam recens ac necdum sedatus dolor, ita ut rationem audiri vix sinant, adeoque illorum affectuum delicta meritò minùs odiosa, quàm quæ ex voluptatis nascuntur desiderio, quod & minùs efficaciter movet, & differri & aliam sibi materiam sinè injuria querere faciliùs potest. Exemplum hujus habemus in marito (o) occidente uxorem adulteram in flagranti deprehensam, cujus justo dolori indulgent leges, pœnam in foro externo remittentes. Ex hoc ipso fundamento mitigationi pœnæ in homicidio locum esse putat Carpzovius (p) si ex circumstantiis evidenter appareat furoris speciem habuisse iracundiam, mentemque per eam omnino fuisse alienatam.

§. XI.

(l) De J. B. & P. l. 2. c. 20. §. 19.

(m) Cit. loc.

(n) L. 2. c. 20. §. 31. n. 2. de J. B. & P.

(o) L. 24. ff. ad l. Jul. de adult.

(p) Pract. criminal. quæst. 147. n. 60.

§. XI.

Aliud tamen in coactione Physica obtinet.

Quousque coactio imputationem vel impediatur, vel omnino tollat, facilis dispectionis est, si distinctio adhibeatur inter coactionem Physicam, & moralem. Cum enim in priori agentis corpus instrumenti tantummodo vicem subeat, & non tam agat, quam agatur reluctante voluntate: eidem actio non magis, quam incudi aut malleo, quibus faber ad pravam actionem abusus est, imputari debet, nisi talem violentiam passus ex actu prævio, quem liberè suscepit, haud difficulter prævire potuerit, simile quid sequi posse, quod postea subsecutum est. Hinc non facile ab omni culpa liberam pronuntiaveris puellam spontè lupanar ingressam, in quo vî oppressa fuit.

§. XII.

Coactio autem moralis à metu proveniens imputationem non impedit,

Aliud obtinet in coactione morali, cujus causa metus est. Cum enim voluntas metu extorta, vera sit voluntas, quæ in talibus circumstantiis se efficaciter ad minus malum præ majori eligendum determinat: hinc coactionem moralem imputationi ad culpam & poenam minimè obesse omnino statuendum erit. Et ideo sub prætextu metus, ut ut gravissimi, ex duobus malis moralibus neutrum citra peccatum eligi poterit, cum rectæ rationi repugnet mortem animæ velle præferre morti corporis. Et cum ad certam mortem subeundam nos humanus legislator obligare possit, quidni ille absolutissimus vitæ & necis Dominus? an autem Deus semper velit fragilitati humanæ tam duram imponere obligationem. Alia est quæstio.

Unde meritò à doctis vapulat Puffendorffius, (g) qui ab omni culpa absolvere non dubitavit illum, qui hominem innocentem intentatæ à Tyranno mortis metu occidit, sic obtemperantem ceu malleum seu instrumentum inanimatum considerans. Quod, quàm à recta ratione & à pietate Christiana alienum sit, nemo non intelligit. Quis enim homo intellectu & voluntate præditus & plena libertate agendi vel non agendi pollens instrumenti inanimati vices subire potest?

Deinde immutabili rectæ rationis lumine notissima regula manet: Deo potius obediendum esse, quàm hominibus. Ipsa jura Civilia, quæ peccatis excusabilibus facile veniam largiuntur, favent quidem his, qui obedire necesse habent, sed non in omnibus, excipiunt enim ea, quæ atrocitatem habent facinoris vel sceleris, quæ sua sponte scelerata ac nefaria sunt, & ut loquitur Tullius (r) maleficia, quæ sponte & non disputatione jurisconsultorum, sed naturali interpretatione fugienda sunt. Eandem censuram meretur glossa (s) asserens, servum facientem aliquod delictum metu, ne interiret, nisi Domino imperanti obediens fecisset, non peccare. Quam glossam approbasse videtur Jason, (t) qui putat, quod occidens alterum non peccet, si Tyrannus in carcerem detruserit duos innocentes, & uni imperet, ut trucidet alterum, sin minus ipsum necandum. Eiusdem mentis est Cinus (u) in casu, si dominus uxorem

I i

rem

(g) L. 1. c. 5. §. 9. & l. 8. c. 1. §. 6.

(r) In Verrem c. 1. §. 42.

(s) In L. penult. ff. si familia furt. fecisse dicatur.

(t) De actionibus §. si minus n. 17.

(u) In l. 1. cod. unde Vi. q. penult.

rem de adulterio suspectam habens, servo suo sub comminatione mortis imperet, ut eam occideret: ratione addita, quia servus tali modo vim vi repellit, quod jure licitum est. Eodem exemplo utitur Salicetus, (x) quod ipsum etiam approbat Bartolus, (y) ut adeo mireris, tanta Jurisprudentiæ lumina in tam plena luce cæcutire potuisse. Nullus sanè metus tam gravis esse potest, qui metum Divini Numinis excutiat, & hominem ab imputatione actionis legi ejus contrariæ excusare possit. Luculentum hujus veritatis documentum omnibus Christianis imitandum reliquit Thebæa legio, quæ militibus constabat sexies mille sexcentis sexaginta sex; Christianis omnibus, qui cum Maximianus Cæsar apud Othodurum eos compelleret, ut sacra Diis falsis facerent, primum Agaunum iter arripuerunt. Et cum eo mississet Imperator, qui eos ad sacrificandum venire juberent, ipsique se id facturos negassent, Maximianus decimum quemque jussit interfici per apparitores, qui nemine repugnante facile imperium sunt executi. Et cum hoc supplicio peracto Imperator superstitionibus eadem, quæ antè, præciperet, sic omnes responderunt. Milites quidem, Cæsar, tui sumus, & ad defensionem Reipublicæ Romanæ arma suscipimus, nec unquam aut desertores bellorum, aut proditores militiæ fuimus, aut ignavæ formidinis metuimus subire flagitium. Tuis etiam obtemperaremus præceptis, nisi instituti legibus Christianis Dæmonum cultus & Aras semper pollutas sanguine vitaremus. Comperimus præcepisse Te, ut aut sacrilegiis pollueres Christianos, aut de denis interfectis nos velis terrere. Non inquiras longius latitantes; nos omnes Christianos esse cognosce: habebis potestati tuæ subdita omnium corpora: auctorem verò suum respicientes Christum animos non tenebis. Simile Exemplum refert Gratianus (z) de Juliano Imperatore, qui quamvis esset apostata, habuit tamen sub se Christianos milites, quibus cum dicebat: producite aciem pro defensione Reipublicæ obediebant ei, cum autem diceret eis: producite arma in Christianos, agnoscebant Imperatorem cæli.

§. XIII.

Contractus autem metu extortus ut validus, imputari nequit.

Aliud dicendum videtur de contractu, qui metu extorquetur. Certum quidem est malle promittere, aut etiam dare, quem metus constringit, quàm mori. Qui autem mavult magis vult: ergo certo vult, & consentit. In quo recta est Jurisconsultorum Romanorum Philosophia, quod coacta voluntas sit etiam voluntas, & me consentientem habent. Quod autem talem contractum vel pactum metu extortum per se validum, & prætoris auxilio demum rescindendum crediderint, juri naturali haud ita congruum esse videtur, non ex eo quidem, quasi voluntas & consensus deessent, verum ex alio principio & causa. Ad pactum enim & contractum (quæ nunc nobis idem sonant) duæ minimum personæ requiruntur: *promittens* aut *dans*, deinde *acceptans*. Licet ergo consistere possit, promissio seu datio, neutiquam tamen propterea simul consistet acceptatio: quoniam metum inferens omni jure acceptandi destituitur. Anne succurret metum inferenti juris naturalis æquitas, quæ omnem vim injustam prohibet, & detestatur? neque satisfacis, si remedio restitutionis in integrum metum passo satis provisum esse autumas. Est enim restitutio in integrum quodammodo creatura juris civilis, quæ contractus etiam in se invalidos tantisper tamen sustinet, donec causâ cognitâ judici certum fiat, quod contractus jam ab initio nullus & invalidus fuerit, & ideo sollicitè adhibuerunt illam differentiam inter contractus bonæ fidei & stricti juris, quàm

(x) In L. 1. cod. unde vi.

(y) In L. si servus ff. de nox. art.

(z) C. 11. q. 5. can. 94. & 98.

quàm speciali suorum judiciorum formæ & praxis forensis usui bono vel malo (quod discutere meum non est) accomodârunt.

Cùm ergò stando in simplicitate juris naturalis restitutio illa civilis in integrum cesset, quæ superiorem supponit, quem tamen in statu naturali viuentes non agnoscunt, simpliciter dicendum erit, contractum metu initum statim ab initio irritum & invalidum fuisse, ne aliàs illud absurdum admittere debeamus dari obligationem, quæ ex mero arbitrio & beneplacito obligati dependet. Et cum dolo non careat, qui rem petit, quam mox est restitutus: ita nil nisi ludos facit, qui rem solveret, quam mox repetere cogitat, imò vel invito etiam extorquere potest. (a)

§. XIV.

Hactenus de imputatione actionum propriarum. Nunc disquiritur, an, & quomodo alicui actiones vel omissiones aliena imputari queant?

Satis de imputatione actionum propriarum, superest, ut inquiremus, an & quomodo quis actionum alienarum particeps fiat. Ante omnia pro regula habendum est, alienam actionem nemini imputari posse, nisi ad illam aliquomodo efficaciter concurrerit. Nulla enim ratio fert, ut effectus actionis moralis de persona in personam trahatur, nisi quis ejus causa moralis exiterit: id est, voluntate sua voluntatem alterius excitaverit, vel permoverit, atque adeo influxu suo morali, positivo vel negativo (agendo aliquid, vel omittendo) actionem vel omissionem alterius produxerit. Scriptum enim aliàs est, quod ne Pater quidem ex delicto liberorum teneatur, nec Dominus ex servi, nec Princeps ex subditorum, nisi aliquid in ipsis vitiosum hæreat. Ut ex priùs dictis satis patet. Iniquitatem ergo redolet Imperatorum Arcadii & Honorii constitutio, (b) quod filios patris perduellis infamia paterna semper commitari debeat, neque lenitatem Imperatoriam ostendunt (quam jaçant) quod iis parcant, qui aliàs paterno deberent perire supplicio, in quibus pateris, hoc est hereditarii criminis exempla metuantur. Metus enim incertus ad poenam mortis infligendam salvo Naturæ jure sufficere nequit.

Justior est vox horum Imperatorum (c) cùm sanciant, *ibi esse poenam, ubi & noxia est*: inquietes; Propinquos, notos, familiares procul à calumnia submovemus, quos reos *sceleris societas* non facit: nec enim *affinitas* vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur suos teneant auctores: nec ulterius progrediatur metus, quàm reperitur delictum.

Participem autem quis se reddit actionis alienæ ille, qui mediatè per alios agit: hoc est, qui voluntate ac intentione sua efficaci directà vel indirecta vel interpretativa ad alterius actionem, vel ejus omissionem concurrat, & influit, ita, ut merito ei velut principio libero & veræ causæ efficienti in genere morum imputetur effectus, quem formaliter, ut in scholis loquimur, vel quocunque modo intendit. Imò delicta hæc non tam aliena, quàm merito suo propria dicenda sunt, quia, quod quis per alium facit, ipse fecisse reputatur. (d) Et nihil interest, ipse quid faciat, an per alium fieri curet, causamque crimini præbeat.

Ii 2

Hoc

(a) Vid. Paulus Comitulus Perusinus in Resp. moral. l. 3. q. 2. & 3.

(b) L. 5. quisquis Cod. ad leg. Julian. Majest.

(c) L. sancimus 22. cod. de poenis jung. L. 26. ff. eod. ubi Jurisconsultus Calistratus eodem tenore loquitur. Confer Anton. Mathæi comment. de crim. l. 48. c. 3.

(d) Huc pertinent l. 3. §. 4. l. 15. ff. ad L. Cornel. de sic. l. 5. cod. de accus.

Hoc modo autem tenentur alii *faciendo* aut *non faciendo*. *Faciendo* alii primario, alii secundo. Primario, qui jubet, qui consensum requisitum adhibet, qui adjuvat, qui receptum præstat, aut qui alio modo in ipsa actione participat. Secundo, qui consilium dat, laudat, assentatur. *Non faciendo* item primario aut secundo. Primario, qui cum ex jure proprie dicto debeat vetare, præcipit, aut opem ferre ei, cui fit injuria, id non facit. Secundo, qui aut non dissuadet, cum debeat, aut factum reticet, quod notum facere debebat. Hos modos Theologi (e) his versibus comprehendere solent,

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus.

Participans, mutus, non obstandans, non manifestans.

Quorum sex priores positivo, posteriores autem tres negativo concursu ad actionem alienam producendam accedunt, ut adeo in universum præter executores novem personarum generibus actio vel omissio imputari queat.

§. XV.

Illi, qui influxu suo ad alterius actionem concurrunt, dividuntur præcipue in tres classes,

Quemadmodum autem pro majori vel minori efficacia voluntatis & intentionis influxus in alterius actionem suos gradus habet, ita etiam ipsa imputatio variat. Vel enim efficax illa voluntas & intentio ut causa principalis, vel ut minus principalis, vel ut causa socia seu collateralis in actionem alterius influit. Per causam principalem intelligimus illum, qui faciendo vel non faciendo tali modo in alterius actionem vel omissionem influit, ut hoc suo influxu alterum ad ponendam vel omittendam aliquam actionem præcisè determinet. Pro causa minus principali habendus erit ille, qui agentem suo influxu non quidem determinat, sed jam aliunde determinatum & paratum ad suscipiendam vel omittendam actionem, ad ejus promptiorem executionem tantum influit & incitat.

Causa socia est illa, quæ faciendo vel non faciendo concurrat quidem, quantum in se est, ad alterius actionem vel ejus omissionem, non tamen adeo efficaciter, ut hic concursus illum alterum ad agendum præcisè determinaverit, sed actio vel ejus omissio etiam sine hoc influxu, vel concursu sequi potuisset, vel secuta fuisset.

§. XVI.

Ad quarum primam referuntur illi, qui Imperio suo obnoxium ad factum impulerunt &c.

AD primam classem pertinent non tantum illi, qui imperio suo subiectum ad factum impulerunt, sed omnes alii, qui influxu suo alterum ad agendum, vel non agendum principaliter & efficaciter determinarunt, & permoverunt. Huc ergo etiam referri merentur, qui consensum requisitum dederunt, sine quo alter agere non potuisset, qui prohibent, & impediunt, quod vi muneris, & potestatis prohibere, & impedire non deberent, & vel non prohibent, quod prohibere, & impedire & deberent, & possent. Ita actione tenetur Dominus, quo sciente, cum prohibere posset, servus aliquem vulneravit, aut occidit, cujus rationem reddit Paulus (f) *Scientiam, inquit, hic pro patientia accipi, ut qui prohibere potuit, seneatur, si non fecerit.*

Quare

(e) Molina tom. 3. Disp. 729, seqq. & Lessius de J. & J. l. 2, c. 13. per tot. qui omnino videtur
(f) L. 25. ff. ad L. aquil.

Quare sacro quoque oraculo Absolon, qui pueris suis praecepit, ut Ammonem de mulentibus percutians, & interficiens, (g) fratricidii reus est. Rectè etiam jura Romana mandantem, & mandararium teneri statuunt. (h) Neque hunc, si factum turpe sit, jussus Principis, potestas Patris, imperium Domini ab imputatione liberant. Filii, inquit Apostolus, (i) obedite parentibus in Domino: & hinc juxta S. Hieronymum apud Grotium, (k) cum Dominus carnis à Domino spiritus diversum imperat, non est obediendum. In illis enim tantum debemus dominis, & parentibus esse subjecti, quæ contra Dei mandata non sunt. *

Hinc etiam facta singulorum imputari possunt civitatibus, seu earum Recltoribus, ac Imperatoribus, si horum accesserit patientia, aut receptus: ac patientia quidem ita, si à subditis suis delinqui sciant, nec tamen prohibeant, cum prohibere possint, ac debeant. Sciri autem præsumuntur, quæ vel frequentia, vel conspicua sunt. Receptu verò, quoties in sua civitate, vel regno tolerant, qui alibi deliquerunt. Ubi, si reatu se exsolvere volunt, alterutrum facere debent, ut interpellati delinquentem aut pro merito puniant, aut poscentibus dedant. Vicissim ex facto summorum Imperantium teneri possunt subditi, si in crimen consenserint, aut si quid fecerint summæ potestatis imperio, aut suaso, quod sine peccato executioni mandare non poterant. Quanquam tali in casu culpa, consequenter etiam poena eos tantum contingat, qui deserto suo consensu in actionem illicitam influxerunt, non autem, qui majoris partis consensu victi sunt.

§. XVII.

Ad secundam pertinent ii, qui consilium suggerunt &c.

IN secunda classe collocandi sunt illi, qui agentem ad suscipiendam actionem jam paratam & determinatam speciali consilio instruunt, & perficiendi sceleris viam ostendunt: veluti si quis furem doceat, quâ parte ædium paterfamilias injuriæ pateat, quibus ferramentis taberna effringi possit: si quis adultero locum, tempus, occasionem indiget. Si quis calumniatori det probationes, alleget accusationis capita. Ita furti (l) tenetur, cujus consilio furtum factum est: injuriarum, (m) cujus consilio injuria alteri illata. Lege Julia de adulteriis (n) tenetur, cujus consilio adulterium commissum est. Lege Cornelia de sicariis, (o) cujus consilio dolo malo innocens judicio capitali oppressus est: lege Pompeja (p) cujus consilio parricidium patratum est. Lege Fabia (q) cujus consilio & persuasione servus à domino fugit. Consulenti non absimiles sunt laudatores & assentatores, quatenus facinus patraturo majorem & promptiorem animum addunt, vel exemplo suo alios ad malè agendum incitant.

Kk

Neque

(g) 2. Reg. c. 13. v. 28.

(h) L. 11. §. si mandatu. 3. ff. de injur. L. 5. cod. de accusi.

(i) Ad Ephes. c. 6. v. 11.

(k) L. 2. c. 26. §. 3.

* His consentanea sunt, quæ Jurisconsulti Ulpianus L. 2. §. 4. & seqq. de Injur. L. 7. §. 4. ff. arbor. furt. cæs. L. 157. ff. de R. J. & Alfenus L. 20. ff. de obl. & act. scribunt. ex his, & mox prius tractatis patet, quid respondendum sit ad Regulas juris L. 167. & 169. ff. de R. J. non videri dolo malo facere, qui parere necesse habet, & ejus culpam esse nullam, cui parere necesse est.

(l) L. 53. in fin. ff. de V. S. l. 36. & 52. §. 21. ff. de furt.

(m) §. penult. Inst. de injur. l. 11. §. 6. ff. eod.

(n) L. 12, & 14. ff. ad L. Jul. de adult.

(o) L. 3. §. 4. ff. ad L. Cornel. de sicariis.

(p) L. 6. ff. ad L. Pomp. de Parricid.

(q) L. pen. §. ult. ff. ad L. Fab. de plag. l. 2. cod. eod.

Neque consulens neque assentans & laudans (saltem quoad forum internum) ab imputatione immunis erit, tametsi reus etiam sine consilio vel assentatione certus fuerit peccare. Ad rem ipsam enim nil interest, utrum quis sponte peccaturo consilium dederit, vel assentatus fuerit ei, qui peccaturus non erat, nisi alter consilio & assentatione exhortatus esset, quam quod fortasse hic consultor & assentator aliquanto sit improbior altero, quia per hunc corrumpitur animus maleficii insolens. Ille verò, tametsi non corrumpit hominem, tamen eo ipso, quo consilio viam monstrat, & assentatione animos addit, causam delicto præbere censendus est. Multo minùs hoc excusat, quod alii non fuissent defuturi, qui suaderent, & iuarent. Sufficit enim ipsorum operam revera aliquid efficaciam habuisse circa producendam actionem: nam & illi alii, si suasissent, & adjuvissent, ab imputatione liberi non forent, & tenerentur. Nec ille in totum satisfacit, qui mutato nunc consilio patratore facinoris, damni dati reparationem, sed sine effectu, suadet. Cùm enim consilium, quo ad damnum dandum alterum permovet, fuerit efficax, verbis & re contracta obligatio, nudis nunc verbis dissolvi nequit.

§. XVIII.

Et tertio denique loco veniunt illi, qui auxilium ad alienam actionem conferunt &c.

Tertiam denique classem constituunt ii, qui opem & auxilium ad alienam actionem conferunt; opem autem tulisse intelligitur non solum is, qui in ipso crimine auxilium præstitit: Exempli causa scalas applicuit, sed & is, qui cum crimini patrato non interfuisset, ferramenta tamen, tela venena commodavit sciens, cujus rei causa commodaret. Item, qui post commissum crimen fugam rei juverunt, & instruxerunt, quive latitantem dolo malo receperunt, celaverunt, res furto ablatas distraxerunt, (r) vel quocunque alio modo immediato auctori astiterunt, & pari voluntate ad ejus actionem concurrerunt, ac aliquod contribuerunt. Hinc tametsi quis manus non injecerit, adstitit tamen terrendi causa, opem & auxilium tamen tulisse dicendus est: quod multo magis in eo obtinere debet, qui armatus astitit cædenti vel stupranti & excubitoris operâ functus est.

§. XIX.

His suppositis facile constat, omnes illos teneri, qui verè causa sunt damni secuti,

Superest adhuc, ut examinemus, an hi omnes æqualem subeant imputationem, & æquè principaliter teneantur, vel an observetur inter hos ordo quidam & qualis? præ omnibus sciendum & probè notandum erit: hos omnes ita teneri, si verè causa fuerint actionis & damni inde dati, id est, ut Grotii (s) verbis utar, momentum attulerint, aut ad totum damnum, aut ad partem damni, unde causa damni injuria dati, vel totalis vel partialis dici potest. Sic qui alteri mandavit cædem, is totius damni ex mandata cæde secuti causa sicque totalis est. Contra qui alteri mandavit, ut tertium verberibus probè exciperet, nullatenus verò in vitæ periculum adduceret, is, si alter

(r) Huc pertinent l. 54. §. ferramenta ff. de furt. l. 7. ff. ad L. Pomp. de Parric. l. un. vers. & qui eis auxilium cod. de raptu Virg. l. 1. §. 1. ff. ad L. Corn. de sicar. l. 1. & tot. tit. ff. de recept.

(s) L. 2. c. 17. §. 10. vid. & L. 1. §. 3. ff. ad L. Cornel. de sicariis.

eum lethaliter verberasset, in tantum causa esset damni, quantum momenti attulisset ad verbera, non in quantum ea fuissent lethalia. Ad rem solide Medina (†) in tantum inquit: aliquis tenetur de damno, quantum fuit damnum, quod ipse suo concursu causaliter injuste intulit. Unde sequitur, quod stat, plures cum fure concurrere, & unus teneatur in solidum, alter vero in nullo. Patet hoc, si primus fuit causa motiva, seu activa totius damni, maxime si eo non concurrente, nullum fuisset illatum dampnum, talis tenetur in solidum. Econtra vero si secundus dedit furi præceptum, consilium, seu assensum, sed omnino impertinens ad damnum datum cum non inde motus fuerit, fur ad furtum committendum, quo minus alioquin commisisset, talis in nullo tenetur ipsi læso. Stat etiam, quod unus teneatur in solidum, alter vero in parte, ut si ad unius consilium omnes simul ad furandum concurrerunt, & cum ad locum, ubi furtum est committendum, unusquisque certam partem rerum alienarum arripuit, jam ille, qui consilium dedit, tenetur in solidum: alij vero ab eo inducti tenentur, unusquisque pro parte, quam surripuit. Stat denique, quod teneantur in solidum, quando scilicet uno solo nolente alios comitari, ceteri omnes à proposito desisterent. Tunc unusquisque suo comitatu est causa, quod omnes ad furtum eant, & ex consequenti unusquisque etiam si non nisi partem surripiat, tenetur in solidum, ex quo unusquisque totius damni causa fuisse in calu dignoscitur. Semper tamen, quod iterum iterumque moneo, vitium actus à damno dato discernendum erit: hinc etiam Grotius (‡) sollicitè iisdem ferme modis in delicti, quo in damni dati partem quem venire asseruit. Nam ad damni dati reparationem qualiscunque sæpè culpa sufficit: ad poenam non item.

§. XX.

Ordine tamen imputationis servato distinguendum est inter actus dividos & individos.

Ordō autem imputationis & obligationis ad poenam vel reparationem damni dati, aut ad utrumque, est talis. Primo loco tenentur illi, qui imperio aut alio modo impulerunt ad factum. (x) His deficientibus partor facinoris: & hunc sequuntur ceteri: in solidum singuli, qui ad actum causam dederunt, si totus actus ab ipsis, quanquam non solis processit, quæ res clara fiet, si inter actus dividos & individos distinguatur. Hi sunt, ad quos multi ita concurrerunt, ut sine tali concursu ab uno solo injuria proficisci non potuisset, dum duo v. g. pluresve unum tignum furati sunt, quod singuli tollere non potuerunt: dicendum est omnes eos furti in solidum teneri, quamvis id contrahere, nec tollere solus posset. Et ita utimur. Neque enim potest dicere pro parte furtum fecisse singulos, sed totius rei universos. Sic fiet singulos furti teneri (y) vel contra, si plures unum actum ita producant, ut etiam ex unius opera integer fuisset secuturus, neque singulis certa veluti pars istius assignari queat. Exempli gratia tres sunt, qui faces simul alicui domui injecerunt. Hic actus incensæ domus totus videtur à singulis processisse, etsi non à solis, cum quæ domus fuisset conflagratura, & damnum inde datum idem fuisset secuturum, licet unus tantum facem injecisset, sic, ut defini nequeat, quota pars incendi à singulis provenerit. Ad talem actum, si plures concurrerint, singuli ita tenebuntur in solidum, ut siquidem omnes simul depre-

K k 2

hendan-

(†) Tract. de restit. q. 8. fol. 72.

(‡) L. 2. c. 21. §. 1.

(x) Vid. l. 37. princ. ff. ad l. aquil. l. 2. 3. 4. pr. ff. de act. Nox.

(y) Ita in terminis decidit ex principiis rectæ rationis Ulpianus l. 21. §. 9. ff. furti. vid. tamen Julianus l. 51. in fin. ff. ad L. Aquil.

hendantur, æquales damni partes resarcire debeant. Ast duobus reliquis elapsis unus duntaxat sit deprehensus ab ipso solidum possit exequi. Nec minus, si ex deprehensus aliqui non sunt solvendo locupletes in solidum tenebuntur. Et in hoc quoque differt reparatio damni ab exactioe pœnæ, quod ibi uno solvente reliqui liberentur. Cùm idem damnum bis reparari æquum non sit, (et si per modum pœnæ id non raro fiat) sed ut solida pœna pluribus, qui ad idem facinus concurrerunt, infligatur, nec iniquum nec infrequens est.

Actus dividuus erit, qui à pluribus ita processit, ut singulis determinatè imputari, & assignari possit, quantum quilibet momenti ad injuriam illatam attulerit. Quid autem dicendum sit, si quis hominem lethaliter vulneraverit, alius autem post superveniens occiderit, Jurisconsulti Romani disputant? Julianus (z) utrumque de occiso: Celsus (a) autem priorem de vulnerato, posteriorem de occiso teneri putat. Hanc litem ex principiis hæcenus stabilitis facile decidere licebit, si pœna à damno dato ritè distinguatur.

Interim Trebatio frustra dubitante vera, & certa manet decisio Ulpiani (b) quod is, qui ex acervo frumenti modicum sustulit, totius rei furtum non faciat, & in tantum eos furti actione teneri, in quantum abstulerunt. Et his fundamentis innicitur intricata aliàs pœnæ, & restitutionis materia.

§. XXI.

Et denique cui occasio agendi deest, omisio imputari nequit, & vice versa.

Cui denique agendi occasio citra suam culpam deest, omisio actionis non imputatur. Est autem occasio pars temporis, in se habens alicujus rei idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem. Huc pertinet captatio, & usus occasionis, quæ sæpius post hac calva est. Ad illam opportunitatem requiritur ut I. objectum actionis sit in promptu. II. Ut adsit commodus locus. III. Tempus opportunum & IV. vires naturales agendi superant. Cùm ergo occasio sit veluti medium proximum, seu via proxima ad actionem: hinc quæcunque actio natura turpis est: ejus quoque gerendæ occasio tanquam efficacissimum invitamentum declinanda est, & non declinata imputatur. Sicut culpam non vacat occasione benè agendi manum non injicere, quod aptissima parabola de servis Collybistis in lege gratiæ (c) declaratum invenimus.

(z) L. ita vulneratus § 1. ff. ad L. Aquil.

(a) Item Mela 11. §. celsus 3. eodem.

(b) L. Vulgaris 21. pr. ff. de furtis.

(c) Math. 25. v. 14. & seqq.





POSITIONES

EX

JURISPRUDENTIA

UNIVERSALI PRIVATA.

I.

SI primam hominis originem, abstrahendo etiam à Divina revelatione, consideremus, intelligimus Imperia, seu Respu'licas, Reges, Magistratus, subditos ab initio rerum non extitisse, sed sui quemvis juris, ac potestatis fuisse; legum tamen naturalium Imperium agnovisse, ac per consequens hominis, in hoc statu naturali existentis, officia tam externa, quàm interna, tam perfecta, quàm imperfecta I. erga Deum II. erga se ipsum & III. erga alios homines Jurisprudentia naturali, seu universali privata ad justitiam, & generis humani felicitatem dirigi.

II.

Quia autem in hoc ipso statu naturali societates quædam, ac diversæ hominum conditiones inveniuntur, ideò officia quoque eorum hoc in statu alia sunt communia, & generalia, alia specialia, & hypothetica.

III.

Inter officia, quæ cuivis statui sunt communia, & ad omnes homines æquè pertinent, primum sibi meritò locum cultus Divini Numinis vindicat, & non interior tantum, verum etiam exterior.

IV.

Post cultum Divini Numinis homo nullis officiis arctius obstringitur, quàm quæ sibi ipsi debet, ad quæ non ratione tantum, sed primis naturæ, seu instinctu naturali incitatur, & impellitur. Hinc homo nihil eorum, quæ ad perfectionem, felicitatemque assequendam, conservandam, augendamque pertinent, prætermittere tenetur, dum id sine amoris Divini violatione fieri possit. Ex quo facile patet, non semper verum esse, quod in omnium ore circumfertur, necessitatem non habere legem.

L

V. Ex

V.

Ex quibus rectè inferitur, autochiriam, seu sui ipsius occisionem jure naturæ nunquam, defensionem autem sui hoc jure quidem licitam, sed non semper esse præceptam.

VI.

Et quamvis officium hominis erga alios absolutum exigit, ut homo hominem non minùs, quàm se ipsum amet, ac minémque quocunque modo lædat: si tamen corpus: impetatur vi præsentem cum periculo vitæ non aliter vitabili, licitum est repellere hanc injuriam etiam cum interfectione aggressoris, sive deinde is destinato consilio, sive per errorem, aut insaniâ, vel insomniis agitur invadat, dummodo moderamen inculpatae tutelæ servetur, qua in re rectè distinguitur inter eos, qui in statu naturali nulli magistratui, à quo defendi possunt, subjecti vivunt, & qui cum aliis in societate civili judicem agnoscunt.

VII.

Idem sentiendum, si quis membrum corporis, pudicitiam, imò res suas majoris momenti aliter, quàm cum interfectione injusti invaloris conservare, & tueri nequeat.

VIII.

Neutiquam verò, si periculum accipiendæ alapæ, aut mali similis imminet; hoc enim arcere cum cæde inimici injustum est. Ex quo satis patet, quantum ab officio hominis, & civis aberrent, qui etiam in statu civitatis ob quamlibet injuriam etiam verbalem tantum ad eluendam maculam, apud alios homines inde putatitè contractam duellum non illicitum esse sibi, & aliis persuadere conantur, quod legibus naturalibus certò repugnat, modò quoad injurias graviores judicia neque momentanè, neque continuè cessent, & tali in casu duellum aliquod posset esse licitum:

IX.

Officia perfecta hominis erga alios homines posita sunt in eo, ut neminem lædamus, & cuique, quod suum est, tribuamus, sive deinde illud suum sit connatum, sive acquisitum. Officia autem imperfecta, quæ homini naturaliter debentur, se extendunt ad ea, quæ ad felicem generis humani statum saltem negativè necessaria esse censentur.

X

X.

Vi ergò officii perfecti homo hominem lædere non debet. Potest autem homo lædi, vel in persona, vel in rebus, vel in sermone, pactis, & juramentis.

XI.

Lædi autem in rebus quis potuit, tam stante primæva rerum communione, quàm nunc eâ sublatâ. Multiplicato enim genere humano primæva illa rerum communio tolli, & rerum proprietas, seu dominium introduci debuit, quod nec soli occupationi, nec soli divisioni, sed simul pacto cuidam universali ex natura negotii resultanti, adscribi potest.

XII.

Est autem proprietatis, seu dominii tanta vis, ut illud spectato jure naturæ, etiam sinè traditione in acceptantem inter vivos, vel mortis causa, transferri possit.

XIII.

Non obstante tamen rerum proprietate licitum est superveniente casu extremæ necessitatis re illa uti, cujus alter dominium habet, & quidem sinè obligatione restitutionis.

XIV.

Cùm sermo à Deo sit institutus, ut homo cum homine sensa animi sui communicare possit, satis patet: neminem sermone esse lædendum, atque adeo omne mendacium à societate humana exulare debere, ex quo tamen minimè sequitur, hominem homini semper, & in omnibus circumstantiis veritatem aperire teneri.

XV.

Circa pacta, sub quibus omnes promissiones, & contractus comprehendimus, juris naturalis est, ut fides semel data servetur, dumodò personæ habiles de re licita pactum iniverint. Quod adeo verum est, ut impleto etiam turpi factò nulla obligatio oriatur solvendi rem promissam.

XVI.

Eodem modo etiam ipso jure nulla, & invalida est promissio, quæ vi, vel metu est extorta, aut dolo elicita, vel in errore fundata, tali scilicet, qui consideratis circumstantiis consensus tollit.

XVII.

Solet sermoni, pactisque nostris aliquando sanctius jurisju-

randi vinculum accedere, quando divinum nomen in testimonium veritatis invocamus, quod etiam finè animo se obligandi, vel ab infidelibus per falsos Deos præstitum, obligationem producit: promissiones tamen turpes v. g. solvendi uluras mordentes spectato solo jure naturæ jurejurando confirmari hoc effectu nequeunt, ut obligatio inde oriatur.

XVIII.

Quod autem contra juramentum præstitum fit, sæpè tantum est illicitum, non autem semper invalidum.

XIX.

Ex læsione juris oritur naturaliter obligatio reparandi damnum culpâ datum; si autem dolo illatum læso simul jus nascitur puniendi lædentem etiam in statu naturali.

XX.

Damnum tamen à bruto datum ab ejus domino spectato solo jure naturæ reparari non debet.

XXI.

De servo autem damnum inferente tenendum est contrarium.

XXII.

Inter officia hypothetica, quæ ex certa hominis conditione oriuntur, & non omnibus, sed quibusdam tantum debentur; primo loco occurrunt ea, quibus conjuges sibi invicem tenentur. Conjugium verò, si jure naturali solum id æstimated, est conventio mutua inter personas diversi sexûs procreandæ, educandæque prolis causa inita, ex qua spectato solo jure naturæ non oritur necessariò societas perpetua, & indissolubilis:

XXIII.

Nec etiam unius viri cum una fæmina. Quamvis autem polygamia absolutè loquendo non repugnat juri naturæ: repugnat tamen polyandria, seu societas conjugalis unius fæminæ cum pluribus viris.

XXIV.

Quare matrimonia etiam inter ascendentes, & descendentes inita nulla & irrita esse debeant, satis evidenter ex solo jure naturæ explicari nequit.

XXV.

Utrique Parenti competit imperium in liberos à natura, quod tamen ad jus vitæ, & necis, etiam in statu naturali tam parùm extendi potest, quàm Domini in servos.

EX

EX

JURISPRUDENTIA UNIVERSALI PUBLICA.

XXVI.

Cum multiplicato genere humano homines à *libertate* naturali, multis incommodis, & miseris obnoxia recesserint, & in *magnas Societates* coiverint, Quas *Gentes, Civitates, Regna, & Respublicas, seu Personas morales compositas* promiscuè appellamus, quæ præter universalem summum Legislatorem Deum. Nullum alium quoad temporalia in suis terris agnoscunt: ideò Jurisprudentia hæc universalis tota quanta in dirigendis actionibus harum magnarum societatum, seu civitatum, earumque Rectorum occupata est, & hinc etiam nomine Jurisprudentiæ universalis publicæ jure venit.

XXVII.

Causa primarum civitatum rectè à metu deducitur, etsi libido dominandi à ratione causæ non penitus excludenda sit. Rectè autem dicitur *civitas Persona moralis composita*, cujus *Voluntas* ex plurium pactis implicita, & unita, *pro omnium voluntate* habetur, ut singulorum viribus, & facultatibus ad pacem, & securitatem communem uti possit, accurate definiiri potest, quòd sit *societas, seu communitas multorum hominum liberorum, mutuis eorum pactis cum debita summè imperantium, & parentium subordinatione propter beatitudinem civilem coadunata.*

XXVIII.

De Majestate sive summo imperio civili, quod anima civitatis est, tum quid sit, tum unde oriatur? multa est disputatio. Illud optimè declarat Grotius, quòd hæc *Majestas, seu Potestas summa* illa dicatur, *cujus actus alterius juri non subsunt; ita, ut alterius voluntatis humana arbitrio irriti possint reddi.*

XXIX.

Et hujus Majestatis, sive summæ Potestatis subjectum *commune* est civitas, *proprium* vel persona una, vel mystica.

M m

Mystica

Mystica vel pluribus, vel paucioribus constat pro cujusque gentis genio, & moribus. Et ab hoc subjecto proprio tres simplices gubernandi formæ suam denominationem accipiunt, scilicet *Monarchica*, *Aristocratica*, *Democratica*, quibus accedit ex his omnibus tribus, vel aliquibus tantum *mixta*.

XXX.

Hinc meritò rejicitur opinio eorum, qui contendunt, liberas civitates, seu Democraticas sine imperio solis pactis, & conventionibus contineri, vel formam reipublicæ, seu civitatis mixtam omninò non dari.

XXXI.

Originem Majestatis, seu summæ potestatis civilis multà immediatè à Deo repetunt. Nos Deum pro causa prima, ac universali agnoscimus, à quo imperandi, & parendi ordo institutus est: proximè verò ex pactis hominum in civilem societatem coëuntium, Majestatem tanquam qualitatem moralem resultare existimamus. Nec ex hac sententia vel sanctimonix, vel inviolabilitati summorum imperantium quidquam decedit.

XXXII.

Hinc meritò rejicienda est rebellis opinio eorum, qui *duplicem* Majestatem, *Personalem* scilicet, & *realem* statuunt, & ubique, & sine exceptione *Majestatem realem*, seu *summam Potestatem* populi esse volunt, ita ut populo Reges, quoties imperio suo malè utuntur, coërcere, & deponere liceat, vel saltem mutuam Regis, & populi subjectionem esse fingunt, ita, ut populus universus Regi rectè imperanti parere debeat; Rex autem malè imperans populo subjiciatur.

XXXIII.

Nullus enim summus imperans verè talis nec à suo populo, nec ab ullo alio deponi potest.

XXXIV.

Imò persona Regis verè talis adè sancta esse debet, ut subditus innocens etiam in gravissimo, & certissimo vitæ discrimine se cum nece Regis sui conservare non debeat.

XXXV.

Summus autem imperans seu Rex verè talis esse potest, & qui Majestatem, seu summum imperium temporarium exercet,

cet, & qui sub clausula commissoria illud possidet, & qui potentiori inæqualiter foederatus est, ita, ut Majestatem ejus comiter venerari teneatur.

XXXVI.

Imò nec tunc desinit esse summum Imperium, etiamsi is, qui imperaturus est, aliqua promittat Deo, aut subditis etiam talia, quæ ad imperii administrationem pertinent, sive deinde obligatio cadat in exercitium actûs, sive etiam in ipsam facultatem.

XXXVII.

Cùm invasores, seu usurpatores regni alieni nullo jure, sed solâ potentiâ nitantur, impunè repelli, & à quovis opprimi possunt. Sed in Rebuspublicis popularibus quidem ac optimatum imperio jus hoc invatori resistendi, eò usque durat, donec civitas fessa libertatis in violentam potestatem consentiat, ita, ut ex invasore legitimus princeps fiat, quod homagio, aut alia evidenti voluntatis declaratione contingere solet. In Monarchia autem legitimi Regis voluntas, ut accedat, necesse est, sine qua nec promissio, nec jusjurandum, seu homagium civium aut ipsos obligare, aut invadenti jus tribuere valet.

XXXVIII.

Cæterùm, cùm anima civitatis sit summum imperium, sequitur, ut cum illo conjuncta esse debeant omnia jura, sine quibus finis societatis civilis, scilicet securitas obtineri non posset, quæ conjunctim Majestas, seu Majestatis jura appellantur. Cùm verò duplex sit illa securitas interna civium adversus concives, & externa contra hostium vim, & invasionem: Consequens est, jura Majestatis duplicis esse generis, quorum illa, quæ ratione civium competunt, Immanentia: hæc quæ respectu exterorum exerceri possunt, transeuntia potius, quàm Regalia appellantur.

XXXIX.

Si autem interna securitas in eo consistit, ut cives à concivibus securi præstentur, necesse etiam est, ut cum summo imperio conjuncta sint jura vitæ & necis ferendi leges, qualescunque bene publico utiles, easque applicandi ad facta, quod supremam jurisdictionem appellare licebit, nec non

pœnas infligendi, illásque remittendi, quod juris aggratiandi nomine venit: tributa, & vectigalia pro Reipublicæ necessitate exigendi, ministros, Magistratus, seu iudices constituendi.

XL

Pertinet porro ad Jura Majestatica, Dominium altum, & supereminens (licet haud pauci dissentiant) quod summo imperanti ob utilitatem publicam in res, & jura subditorum competit, ita. ut subditis jus, sive ex pacto, sive ex juramento quærendum, vel jam quæsitum sit, in pœnam, vel quacunque alia ex justa causa antecedenter, & consequenter auferre possit. Inde quinunces usuræ (etiamsi eas jure naturæ prohibitas esse concederemus) in imperio Romano-Germanico receptæ, & legibus publicis approbatæ, ut justæ & licitæ non minùs defendi possunt, quàm leges illæ Principum, quibus bona immobilia in exemptos ab oneribus publicis alienari prohibentur.

XLI

Quamvis autem hoc Dominium altum, & Supereminens ex justa causa tam latè pateat, omne tamen damnum, quod privati ferunt pro communi necessitate vel utilitate, erit commune, ac proinde ex arca publica refarciendum: neque etiam hoc jus Reipublicæ tam latè patet, ut vi hujus Principi fidem subditis etiam rebellibus datam infringere liceat: pacta enim etiam cum hæreticis, & infidelibus inita sanctè, & intemeratè servanda esse conventionum, pactorumque usus indispensabilis, & ruitura sinè iisdem generis humani pax, securitas, & felicitas abundè confirmant.

XLII

Mera autem privilegia quibuscunque personis concessa semper à Principe revocari possunt.

XLIII

Si pars populi alienanda sit, præter reliqui corporis ipsius partis, de cujus alienatione agitur, consensus adeò necessarius est, ut sinè eo alienatio sit nulla, & irrita.

XLIV

Parti autem à corpore etiam sinè consensu corporis in casu saltem extremæ necessitatis, discedendi jus competit.

XLV

Subditus innocens hosti ad occidendum dedi potest, ut pernicies certa toti Reipublicæ imminens evitetur.

EX

EX

JURISPRUDENTIA UNIVERSALI GENTIUM.

XLVI.



Entium, & Rerumpublicarum inter se ea est conditio, ut tanquam personæ compositæ, & morales, quas nulla juris civilis communio tenet, in statu libertatis naturalis vivant, & inde est, quòd quælibet gens sui juris. & omnes inter se æquales esse censeantur. Hinc etiam nulli genti in aliam nec præcedentia (sine speciali pacto expresso, vel tacito) nec imperium competit, quod adeò verum est, ut hoc nec omnibus gentibus collectivè sumptis in singulas tribui possit. Uti enim singuli homines, antequam in gentes, seu civitates coirent, sui juris fuerunt, ita ipsæ gentes integræ veteris illius status tenent vestigia, ut neminem, nisi Deum superiorem in temporalibus agnoscant:

XLVII.

Quemadmodum ergò personæ hæc morales, & compositæ seu integræ gentes induunt proprietates morales hominum singulorum, seu personarum simplicium in statu naturali viventium: ita etiam, eodem jure naturæ ad officia I. Deo, II. sibi ipsi, & III. aliis gentibus præstanda diriguntur.

XLVIII.

Quamvis autem gentes, earumque Rectores vi officii perfecti Deo debiti veram religionem pro viribus promovere teneantur, sola tamen infidelitas non est legitima causa bellum gentibus infidelibus inferendi.

XLIX.

Et quoniam singulis hominibus in statu naturali degentibus non tantum se defendendo vim injustam repellere, sed etiam vim justam inferre licet, ita, ut inter gentes bellum defensivum, & offensivum licitum esse debeat, si alia ratione injuria inferenda declinari, vel illata reparari nequeat, eo tamen referri non debet legitimis titulis aucta vicinæ gentis accrescens potentia.

L.

Justum etiam est bellum pœnale, vel vindicativum, quod gens læsa genti delinquenti ad puniendum, vel vindicandum delictum infert.

LI.

Non minùs gentes, quàm singuli homines jurium, obligationum, delictorum, & pœnarum activè, & passivè sunt capaces, ut audiendi non sint, qui inter gentes nulla domini, seu proprietatis jura admittunt, nec quemquam rerum suarum, nisi inter suos, Dominum esse existimant, consequenter reliquas gentes, nisi quibuscum fœdus nobis sit, nec jus Reipublicæ in provinciam, nec singulorum dominia agnoscere teneri.

LII.

Hinc facile apparet, quid de libertate maris, quasi intra primævam communionem illud adhuc subsistat, ac omnis proprietatis expers sit, haberi debeat. Nulla enim est ratio, cur non mare per se loquendo, sumptum, aut sub ratione integri. aut præcipuarum partium tam ratione domini, quàm imperii occupari, & æquè ac res aliæ à Deo hominibus concessæ variis acquirendi modis in jus proprium alicujus gentis abire, atque ita etiam (salvo tamen jure necessitatis, & innoxie utilitatis) retineri possit.

LIII.

Præscriptioni autem propriè tali inter Gentes, qua tales locus non est, cùm ad stabiliendam Imperiorum, & Regnorum quietam possessionem præsumptio derelictionis tacitæ idoneis fundamentis subnixa sufficiat.

LIV.

Pacta non minùs obligant integras Gentes, quàm singulos homines, ex quo facile intelligitur, fœdera cum Gentibus, à vera religione alienis, inita per se juri naturæ non repugnare.

LV.

Gens Gentem, etiamsi nullum fœdus præcesserit, ab injuria defendere potest, quod tamen pro subditis alienis, ut ab eis arceatur injuria imperantis, licitum non est.

LVI.

Imò nec hosti alterius hostilis gentis subditos ad id impellere,

pellere, aut sollicitare licet, quod subdito qua tali non liceret: v. g. Regem suum occidere.

LVII.

Etsi alieni delicti, adeoque etiam poenae nemo, nisi delinquens particeps fiat, Gentes tamen, aut earum Rectores ex subditi delicto, si adsit scientia, & non prohibitio, tenentur: nec non ex receptu eorum, qui apud aliam Gentem deliquerunt, nisi aut puniant, aut dedant, etsi forte urbes asyli apud talem gentem existant.

LVIII.


Quamvis defuncto Rege, vel Familia Regnatrice omnino extincta, ac mutata Reipublicae forma obligatio non cesset, qua Rex, vel populus antea erat obstrictus: poena tamen ob delictum Reipublicae semper exigi nequit.

LIX.

Jus repressaliarum, seu detentio rei, vel hominis innocentis propter protractam, vel denegatam Justitiam alterius Reipublicae Gentibus usitata juri naturae non adversatur.

LX.

Quamvis Gens laesa se ipsam adversus Gentem laedentem in integrum restituere possit, pace tamen inita etiam metu extorta omnis restitutio cessat.



E X

JURE PUBLICO, ET HISTORIA S. R. IMPERII.

LXI.



Quamvis Jus Publicum S. R. Imp. nullo modo ex Corpore Juris Justiniani, sed ex solis legibus fundamentalibus Imperii Romano-Germanici sit desumendum: sine luce tamen Historiae Romano-Germanicae est mancum, & neque rite addisci, neque intelligi potest.

N n 2

LXII.

LXII.

Ut autem Historia Romano-Germanica pragmaticè intelligatur, studium diplomaticum, & criticum summoperè utile, imò necessarium esse agnoscimus.

LXIII.

Carolus M. à Leone III. S. Pontifice, & populo Romano Imperator salutatus non accepit nomen vacuum Imperatoris, neque solum officium defensoris Ecclesiæ, sed Imperium verè summum. Hinc Imperium Romanum occidentale in Carolo M. renovatum, & restauratum: per Ottonem M. autem devicto Berengario II. Germaniæ regno adjectum, & acquisitum esse rectè asseritur.

LXIV.

Et si autem Conradus extincta Caroli M. stirpe in Germania in Regem Germaniæ electus malè in numerum Imperatorum referatur: fide tamen historica certum est, hunc ipsum Conradum, ab omnibus Germaniæ populis in Regem ritè fuisse electum, & potestate verè regia, id est, summa toti Germaniæ, omnibusque ejus Proceribus præfuisse, & imperitasse. Hinc audiendi non sunt Neoterici quidam Juris Publici Doctores, qui Conradum I. à solis Francis & Saxoſibus electum esse, & superioritatem territorialem, juraque inde promanantia jam hoc tempore Proceribus Germaniæ in Provinciis competiſſe prætendunt.

LXV.

Rex Germaniæ legitimè electus fit simul Imperator, & si solius hujus electionis sinè coronationis solennitate acquirat summam potestatem verè talem, per capitulationem tamen, ut vocamus, limitatam, hinc attendendi non sunt illi, qui Imperium Romano-Germanicum systema plurium civitatum inter se mutuo tantum foedere nexarum esse contendunt, quo etiam Galli collimare videntur, dum idiomate suo illud Corporis Germanici nomine compellant.

LXVI.

Ille autem censetur legitimè electus, qui Collegii electoralis legitimè convocati, pluralitatem votorum pro se habet, deficiente autem voto unius Electoris contra tenorem legum

legum fundamentalium Imperii exclusi electio est ipso jure nulla; etsi reliquorum omnium consensus unanimis adesset.

LXVII.

Quamvis Imperatoribus in sacra potestas nulla competat, potuerunt tamen quæ Advocati & Defensores Ecclesiæ licitè, & validè pacem Religiosam, & Westphalicam condere, & vi harum pacificationum liberum Augustanæ Confessionis, & Reformatæ Religionis exercitium, & possessionem Bonorum Ecclesiasticorum A catholicis permittere.

LXVIII.

Paci Westphalicæ non repugnat simultaneum religionum in Imperio toleratarum exercitium, ita, ut Domino territoriali ad Religionem v. g. Catholicam transenti in suo territorio nova templa pro usu Catholicorum exstruere, & Ordines Religiosos introducere liceat, dummodò Religionis exercitio anno normali 1624. recepto per hoc nullum inferatur præjudicium.

LXIX.

Si autem subditi dictò anno normali neque publicum, neque privatum Religionis exercitium habuerunt, eos Dominus territorialis in suo territorio tolerare non tenetur; si tamen in alia Provincia sibi subjecta liberum Religionis exercitium iisdem concedere paratus sit, nolentes etiam, & inviti tales subditi eò emigrare tenebuntur.

LXX.

A catholicis in causis Ecclesiasticis neque in prima, neque in ulteriore instantia Judicium Imperatoris declinare poterunt, quamdiu legitimo Ecclesiæ Capiti Summo Pontifici debitam obedientiam præstare detrectant.

LXXI.

Superioritas territorialis, quæ non unò, eodèmq; tempore, sed successivè invaluit, & hodie omnibus Imperii statibus qua talibus competit, Majestatis quidem, seu Summæ Potestatis æmula est, cum Majestate tamen minimè confundi debet.

LXXII.

Origo electorum non est acersenda à temporibus Gregorii V. S. Pontificis, & Ottonis III. Imp. sed ab interregno magno potissimum.

LXXIII.

Antea Bulla statuendo, ut frater senior sit tutor, & administrator sui nepotis pupilli electoralis, non penitus exclusit tutelam testamentariam.

LXXIV.

Quamvis coronæ Galliæ per pacem Monasteriensem Sontgovia, Landgraviatus Alsatia, & Præfectura Imperialis Hagenviensis cessa fuerit, cum tamen cessio hæc salvis juribus Nobilitatis immediatæ, statuümque Imperii in Alsatia sitorum facta sit, hinc etiam hæc jura Imperio Romano-Germanico hunc usque in diem facta tecta mansisse censei debent, nisi per subsequutas pacificationes his expressè derogatum esse constet. Huc referri tantum debent urbes Argentinenfis, & Landaviensis, quæ dictæ coronæ pleno demum jure relictæ sunt.

LXXV.

Sanctio Pragmatica, seu Lex Publica, quam Imperator Carolus VI. gloriosissimæ memoriæ de succedendi ordine in Serenissima Familia Austriaca, in forma perpetui indivisibilis Fideicommissi primogenitura affecti pro universis utriusque sexus hæredibus instrumento solenni Anno 1713. jure suo usus declaravit, & stabilivit, Juri Publico universali omnium Gentium, & Particulari S. R. Imperii, nec non feudali, ac Juribus, privilegiisque, ac pactis in hac Serenissima Domo vigentibus ex asse conformis, non tantum lubditos Austriacos, & totum Imperium Romano Germanicum, & quoscunque ejus sponsores, & fidejussores obligat, sed etiam basis, & fundamentum est hodierni Systematis, æquilibriisve Europæi, & unicuique quietis, tranquillitatisque orbis Christiani Firmamentum.

F I N I S.



